

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

I. FÖGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XV.

GALEOTTUS MARTIUS NARNIENSIS

DE EGREGIE, SAPIENTER, IOCOSE
DICTIS AC FACTIS REGIS MATHIAE
AD DUCEM IOHANNEM EIUS FILIUM LIBER

EDIDIT
LADISLAUS JUHÁSZ

MCMXXXIV. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDI RECENTISQUE² AEVORUM

I. FÖGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XV.

GALEOTTUS MARTIUS NARNIENSIS

DE EGREGIE, SAPIENTER, IOCOSE
DICTIS AC FACTIS REGIS MATHIAE
AD DUCEM IOHANNEM EIUS FILIUM LIBER

EDIDIT
LADISLAUS JUHÁSZ

MCMXXXIV. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

Iq kot.
114.941



INTRODUCTIO.

*De vita operibusque Galeotti Martii.**

Galeottum Martium Narniae in oppido Umbriae e gente vetere anno 1427. esse natum credimus. De parentibus eius paulum scimus; ubi didicerit elementa, nescimus. Ferme vicesimum annum agens Ferrariae in schola Guarini Veronensis una cum Iano (Iohanne) Pannonio celeberrimo poeta, postea episcopo Quinqueecclesiarum (in Hungaria) didicit. Anno 1450. Romam proficiscitur et eodem anno Patavii docuit et medicinae discendae operam dedit. Ianus Pannonius a. 1458. in Hungariam reversus eum invitationi a. 1461. satisfacientem ad se invitavit. Budae in aula regis Mathiae Corvini complures Hungaros (inter quos imprimis Iohannes Vitez de Zredna episcopus Vardiensis, postea archiepiscopus Strigoniensis memorandus est) cognovit. In Hungaria autem paulum temporis commoratur; revertitur in Italiam, mox Hispaniam et Galliam et Britanniam visitat. Anno 1463. iam denuo Patavii invenimus, mox (1464.) Bononiae, ubi ferme annum docuit, quo anno (1464.) in Franciscum Philelphum duas invectivas de Sfortiade scripsit. Eodem anno a Iano Pannonio iterum in Hungariam vocatur et fortasse a 1465., cum esset Ianus legatus in Italiam missus, in Hungariam ab eo deducitur. In Hungaria scriptus esse liber, qui est *De homine*, habetur, quo provocavit Georgium Merulam. Anno 1472., cum coniuratio a Iohanne Vitez et Iano Pannonio contra Mathiam regem facta supprimitur, Hungariam reliquisse videtur. Usque ad annum 1476. iterum Bononiae docet. Paene certum habemus librum *De incognitis* vulgo scriptum eum a. 1477. composuisse, propter quem Venetiis ab inquisitoribus in carcerem conicitur et solum Laurentio de Medicibus et Mathia Corvino adiutantibus iterum liber esse poluit a. 1478., a quo anno usque ad annum 1480. amicitia Mathiae regis utebatur ei dedicans editionem alteram libri *De incognitis* vulgo scripti. Tunc in Italiam proficiscitur, sed a. 1482. quartum in Hungaria invenitur. Nescimus, quot annos tunc apud Mathiam regem remanserit, cuius in aula circa annos 1484—86. scripsit *De egregie*, sapienter, iocose dictis ac factis regis Mathiae ad ducem Iohannem eius filium librum. Anno 1489. Laurentio de Medicibus opus *De promiscua doctrina* compositum dedicavit, quo igitur anno iam denuo in Italia moratur. Anno 1492. in Gallia invenimus; eodem enim anno Carolo VIII. regi librum, qui *De excellentibus* inscribitur, dedicat. De ultimis vitae annis paene nihil certi habetur, cui fides habeatur; sunt, qui dicant eum anno 1497. in Bohemia mortuum esse, alii Montanianae (prope Patavium), alii Lugundi; alii aliis annis.

Opera. Carmina. — Chiromantia. — *De egregie*, sapienter, iocose dictis ac factis regis Mathiae ad ducem Iohannem eius filium liber. — *De homine* libri duo. — *De incognitis* vulgo. — *De promiscua doctrina.* — *Epistolae.* — *Invectivae* in Franciscum Philelphum. — Liber excellentium sive de excellentibus. — *Refutatio* in Merulam.

* Vitam Galeotti Martii copiose scripsit E. Ábel. *Analecta ad historiam renaissance in Hungaria litterarum spectantia.* Budapestini—Lipsiae, 1880., p. 229—94 (Hungarice.) — *Idem*, Galeotto Marz'o. *Ungarische Revue*, Budapest, 1881., p. 29—42. (Epitome ex opere superius memorato Germanice composita.)

*De codicibus et editionibus
libri de egregie, sapienter, iocose dictis ac factis Mathiae.*

a) *Codices*

B — Budapest. — Museum Nationale Hungaricum. Cod. Lat. Med. Aevi 301. Saec. XV. Membran. Inter folia 7. et 8. folium excidit continens textum a 3, 5. | *alias honestis* usque ad 4, 1. | *Advenerunt.* — Verisimile est codicem olim in Bibliotheca Corviniana Mathiae regis collocatum esse. — Qui codex in textu condendo nobis fundamento positus est.

V — Vindobona. — Bibliotheca Windhagiana, num. 221. Chart. — Qui codex e codice B a. 1698. Posenii (in Hungaria) descriptus* et in bibliotheca comitis Adami Kalnoki inscriptus est. — Ex quo codice nonnullas maioris momenti variantes lectiones, potissimum, ubi folium e codice B deest, in Annotationibus Criticis collegimus; ceterum variantes huius codicis concordant codicis B.

b) *Editiones.*

— 1563. Vindobona. — Libellus elegans Galeotti Martii de egregie, sapienter, iocose dictis ac factis Mathiae sereniss. Ungariae regis ad inclitum ducem Ioannem eius filium. Nunc primum opera et studio Sigismundi Tordae, camerae Hungaricae et sacrae Caesareae regiaeque maiestatis etc. consiliarii in lucem editus. Viennae Austriae, Typus Michaëlis Zimmermanni. Anno MDLXIII. — Quae editio Maximiliano II. Caesari dedicata est. — Fundamento editionis codex B fuisse videtur. — Exemplaria rara editionis in Bibliotheca Nationali Vindobonensi in membranaceo impressa et Bibliotheca ducali Vimariensi (Weimar) inveniuntur. — Nos exemplar Vindobonense, in quo permulti loci correcti sunt, contulimus.

1600. Francofurtum. — Iacobus Bongarsius, Scriptores Rerum Hungaricarum. — Textus post editionem a. 1563. editus est.

1611. Cassovia (Kassa, in Hungaria). — Salomon Hungaricus vel de Mathiae Corvini potentissimi ac felicissimi florentissimique Hungariae regis sapienter, egregie, fortiter et iocose dictis ac factis libellus Galeotti Martii. — Editio Ioannis Bocalii Mathiae II. Caesari et regi dedicata. — Textus ex editione a. 1563. desumptus est.

1723. Vindobona. — Galeotti Martii Narniensis quondam serenissimi Pannoniae regis Mathiae Corvini perpetui convivae seu comitis nec non epistolarum magistri et bibliothecae regiae Budensis praefecti Salomon Hungaricus sive commentarius elegantissimus de potentissimi, felicissimi ac florentissimi Hungariae regis Mathiae Corvini sapienter, egregie, fortiter et iocose dictis ac factis. — Editio Ioannis Iosephi Gwercher Tyrolensis, qui editionem a. 1611. iterum impressit.

1746. Vindobona. — Ioannes Georgius Schwandtnerus, Scriptores Rerum Hungaricarum veteres ac genuini, fol., t. I. — Textus ex editione a. 1563. edita est.

1765. Tyrnavia (Nagyszombat, in Hungaria). — Idem, 8-o, t. II. — Editio ex editione a. 1746. iterum edita.

1766. Vindobona. — Idem, 4-o, t. II. — Textus editionis a. 1765. impressus est.

1890. Budapest. — Eugenius Ábel, Irodalomtörténeti Emlékek, t. II. — E libro partes selectae ad litteraturam attinentes editae sunt.

* Librarius e codice B tota folia 23v et 24r (12, 4—9: | *dam gigante—gubernabant* et |) simul duo folia (23. et 24.) vertens non descripsit.

GALEOTTUS MARTIUS NARNIENSIS

DE EGREGIE, SAPIENTER, IOCOSE DICTIS AC FACTIS
REGIS MATHIAE AD DUCEM IOHANNEM EIUS FILIUM
LIBER

Dedicatio.

Volui iam diu, inclite dux Iohannes, aliquid tuo nomine 1
componere, ut intelligeres Galeottum regi Mathiae genitori tuo
tibi que deditissimum. Et cum animo volverem, quidnam tua
puerili aetate dignum esset, quod te ad virtutem excitaret,
occurrerunt quaedam genitoris tui regis dicta ac facta egregie,
sapienter ac iocose. Hoc ratus sum aetati tuae maxime con-
venire. Exempli enim domestica et patrum et avorum ita in- 3
flammant pueros excitantque ad virtutem, ut iam grandes natu
exemplis domesticis imbuti putent a moribus parentum nefas
discedere ita, ut ardua difficiliaque negotia alacri animo ca-
passant. Quod nec poeta ignoravit Vergilius, cum ait: 4

Ecquid in antiquam virtutem animosque viriles
Et pater Aeneas et avunculus excitat Hector?

Haec autem, quae hoc in libello inseruimus, maiori ex parte 5
auribus nostris accepimus aut oculis vidimus. Fuimus enim 6
perpetui comites et convivae serenissimi regis Mathiae, ut tu
optime scis. Scribere autem visa et audita ab iis, qui egerunt,
quantam in se utilitatem contineat, facile aestimabit, qui li-
bros antiquorum percurret et maxime Livium. Nam historici, 8
qui ab aliis accepta et non visa nec a se ipsis audita scrip-
serunt, tantam interdum habent varietatem, ut lectorem incer-
tum relinquunt (hinc est illa Livii frequens disputatio cupientis
elicere veritatem). sed in hoc tam parvo volumine certa et
indubitata continentur, quod quanti sit momenti, nemo recte
formatus est, qui ignoret. Nonne magis animos nostros inflam- 9
maret Liviana eloquentia de pulchritudine Scipionis, si illam
promissam caesariem illamque corporis dignitatem, quam tant-
opere extollit, non legisset, sed oculis vidisset? Bellum Iuda- 10
icum quis cum animi haesitatione unquam perlegit et in illis

Vespasianorum virtutibus dubitavit, cum Iosephus auctor omnibus se interfuisse testetur? Accipe igitur, inclite dux Iohannes, opus hoc volumine exiguum, auctoritate autem maximum. Continet dicta quaedam ac facta illius regis, qui saepe Turchos profligavit, qui vicit Boemiam, qui Valacos subegit, qui Polonos afflixit, qui rebellantem Hungariam sub antiquo iugo continuit, qui Austriam acquisivit, qui et Oceanum et Hadriaticum mare imperii sui terminum vi bellica effecit, qui Hydruntum a Turchorum oppressione liberavit. Sed de his alias. Nunc ad rem nostram redeamus, si prius admonuerimus etiam iocosa dicta maximos reges, summos imperatores, acutissimos philosophos et maxime Caesarem Augustum in usu frequenti habuisse, et, qui huius rei testimonia requirit, legat Macrobbii librum et Plutarchi Apophthegmata, ubi huius rei veritatem intelliget.

1. — *De fide in hostes dictum egregie.*

Quanta fide in hostes quoque fuerit genitor tuus, facile apparebit. Gerebat bellum rex Mathias adversus Georgium Boemiae regem, virum callidissimum, quem Paulus pontifex haereseos damnaverat. Et cum in eo bello multa rex Mathias fortiter sapienterque gessisset compulsissetque Georgium multis et praeclaris quidem urbibus vi expugnatis ad extrema fere, tandem inter reges convenit, ut devenirent in colloquium paucisque ex utraque parte adductis et Galeotto, qui regem Mathiam sequebatur, introducto in cubiculum, ubi soli reges loquebantur, et tandem soluto colloquio quisque domum suam repetivit. Filii Georgii regis, quorum maximus nomine Victorinus, iussu patris comitati sunt regem Mathiam, intraveruntque Holomotiam urbem. Legatus pontificis hoc intelligens summis precibus oravit regem Mathiam, ut huic bello tam periculoso ac difficili finem cum victoria imponeret et summo pontifici pariter et Christianitati et gravissimis impendiis consuleret. Tunc rex interrogavit legatum, quo pacto id fieri posset, cum Boemorum gens esset bellicis artibus instructa, exercitus magnus urbesque munitae. „Tu enim vidisti,“ inquit, „quantis laboribus et Holomotiam et Brunnam urbes expugnavimus.“ Tunc legatus ad regem „Habes,“ inquit, „in manibus filios Georgii regis, praecipue Victorinum, hominem strenuum et in quo omnis spes patris posita est. Cape hunc cum fratre germano et erit huic bello finis, pater enim ex filiorum captivitate contractus quamprimum deditionem faciet. Hoc autem efficere potes sine aliqua infamiae suspicione, quoniam te secuti Holomotiam intravere nulla habita fide, nulla redeundi promissione perscripta.“ Ad haec rex Mathias respondit: „Filii Georgii regis mecum urbem intrarunt credentes sermoni meo, blande enim eos in toto itinere sum allocutus habita de

variis rebus oratione, quamobrem nunquam a me capientur, sed honorifice dimittentur, nam apud me idem est vel vultu vel nutu vel signo vel aliquo modo spem amicitiae et salutis ostendere. Qui enim scriptura dataque fide inimicum illaesum dimittit, is non fidem, sed verecundiam extimescit, quoniam, si scripta fides ostenderetur, si quid adversus inimicum fecisset, statim prodicionis argueretur; qui vero sincero corde fidem colit, sive scriptura sive verbum sive nutus colloquiumque blandum intercesserit, eundem semper se ipsum exhibet. Caveas posthac in regno meo his persuasionibus uti, talia enim exempla semper abhorruimus."

2. — *Iocose dictum.*

Cum inter comedendum in mensa regia volutaretur sermo iocosus, incidimus in mentionem cuiusdam principis, cuius uxor libidinibus omnium patebat ita, ut inter meretrices haberetur. Quidam non indoctus vir defendens mulierem insinuabat eius pudicitiam similitudine filiorum ad maritum dicens: „Si haec mulier adulteraretur, ut vos opinamini, adulteris et non marito similes procrearet," — maximum putans argumentum legitimi filii esse parentum similitudinem. Tunc rex Mathias subridens ait ad illum: „Nunquam amplius hoc dixeris, si tu aliquando libros sapientiae percurrisses, similitudinem prolis ad patrem incestae potius, quam castae uxoris signum esse affirmares. Mulieres enim, cum sunt in complexu cum adulteris, timentes a viris deprenderi maritorum imaginem semper habent ante oculos, unde fit, ut illa vehemens imaginatio similitudinem parentum in filios imprimat. Imaginationem vero hoc efficere et acutissimi philosophi et summi medici et plurima experimenta declarant." Erubuit ille mulieris defensor et nos risu et laetitia pleni hoc verum esse contendimus, cum animae nostrae, ut Avicenna testatur, vim rerum immutandarum inesse cognoscimus et ars magica ab huiusmodi rebus non est omnino aliena, immo hoc verum esse sine aliqua dubitatione confirmat.

3. — *Dictum iocose.*

Duxerat uxorem rex Mathias Beatricem regis Ferinandi filiam, virginem venustam, ingenuis moribus, litteris et doctrina excultam, facundam eloquio, benignam ac in respondendo cum gravitate solertem. Cui inerat gratia quaedam et in narrantis agendisque negotiis, ut homines in sui admirationem traheret, praesertim, cum non modo reginalis dignitatis, sed privatarum quoque mulierum officia ita impleret, ut posset cum omni antiquitate certare. Ad illos pudicos mores virginalemque cum maiestate verecundiam accedebat quaedam in alle-

gandis auctoribus promptitudo. Nam, cum de cuiusdam dominae mutabilitate sermo haberetur, statim Vergilianum illud adduxit :

.. Varium et mutabile semper
Femina.

Sed Beatrix ex Neapoli cum ad maritum venit, secum duxit ancillas, ut de more reginarum est, plurimas, alias principibus, alias honestis parentibus ortas, quae sive propter reginae Beatricis eximiam pulchritudinem sive, quod re vera essent, videbantur deformes et praecipue in Hungaria; gens enim Hungarorum perpulchra est. Et in Hungaria moris est, ut ancillae, quae dominas sequuntur, nunquam sedeant nisi iussae et domina sedente, sed Beatrice sessionem meditante nullo expectato reginae nutu ancillae sedebant. Tunc quidam non insipiens vir inquit ad regem Mathiam : „Haec maxima dementia ancillarum est, ut praeter morem patriae non iubente regina sedeant.“ Respondit rex : „Tota erras via. Immo haec summa sapientia ancillarum est, nam, cum deformes ac turpes sese esse intelligant, totis viribus conantur, ne ab hominibus videantur, ideoque, ne appareant, ad imã se deducunt, quoniam, si starent, omnium conspectui paterent, sedentes autem a paucis et illis quidem familiaribus conspiciuntur et sic quodammodo latitant. Deformia enim et turpia, utile est, ut a prospectu removeantur, ne coetus hominum conturbent; pulchra enim oblectant, turpia contristant.“

4. — *Dictum egregie.*

Advenerunt oratores regis Poloniae ad Vicegradum; nomen enim regiae est a Buda uno schoeno distantis prope Danubium aedificatae cum eiusdem nominis oppido. Aedificaverunt quidem antiqui reges, sed rex Mathias omnia renovavit et magnificas aedes construxit; nam supra omnes homines aedificiis pulchris oblectatur eoque in aedificando ingenio est, ut cum peritissimis architectis decora ac commoda aedium divisione non sine victoria certarit. Venerunt, inquam, oratores praemeditati tanquam ii, qui regem Mathiam sapientissimum et in respondendo promptissimum non ignorarent, et tam longam habuerunt in lingua patria orationem, ut duas aequinoctiales horas impleverint. Lingua autem patria usi sunt, quamvis Latine scirent, propter astantium multitudinem; nolebant autem, quae fuerant a rege suo mandata, ab omnibus intelligi, solus enim rex Mathias in tanto hominum coetu linguam tenebat Slavina. Slavina autem et Polonica lingua parum re ipsa, sed multum pronuntiatione differunt. Hac igitur oratione completa rex Mathias ab eis sciscitatus est, vellentne Latine sibi an Polonice responderi. Oratores hoc in arbitrium

regis reiecerunt. Tunc rex Mathias ordine ab initio repetivit, 7
 quae dicta sunt, omnia et, quae ab illis sparsim et incompo-
 site relata sunt, in ordinem redegit. Deinde vertit se ad con- 8
 futationem ita, ut illi ipsi oratores obstupuerint; ea nanque
 attulerant, quae rex minime coniectare potuisset. Sed inter 9
 caetera in principio orationis dictum ab oratoribus fuerat male
 fecisse regem Mathiam, cum episcopos Poloniae adversus
 regem concitarit pecuniaque iuverit; non enim bonum exem-
 plum est regis in regem principes et populum subditosque
 concitare. Omnibus aliis confutatis hoc obiectum, ad ultimum 10
 reservavit rex Mathias non sine oratorum admiratione; cre-
 debant enim eum vel oblivione vel consulto praeteriisse, quod
 inconfutabile videbatur. Sed, cum rex aliquandiu subticuisset, 11
 subrisit dicens oratoribus: „Renuntiate regi vestro hoc, quod
 fortassis suspicabamini oblivione omissum. Honestus est error
 magnos duces sequentibus, ut a praeceptoribus meis accepi
 et aliquando legi. Nemo enim discipulum criminabitur, qui 12
 suum imitatur praeceptorem; iuniores senioribus parere de-
 bent hisque uti magistris. Iunior ego seniore[m] Poloniae regem 13
 ut magistrum secutus hac in re sum ita, ut discipulus in prae-
 ceptorem arma retorserim. Poloniae enim rex praelatos poten- 14
 tissimos regni mei non modo adversum me inanimavit, sed
 maximo iuvit exercitu.“ Quo dicto oratores erubuerunt vera 15
 audientes. Sed in hoc tam longo sermone et Latino quidem
 rex Mathias lapsu linguae semel in grammatica peccavit.
 Dixerat enim ordinem quam in genere feminino, sed statim 16
 subiunxit: „quem genere masculino dicere volebam.“ Est nanque
 rex Mathias sermone promptus, ingenio versuto, lingua 17
 elimata, memoria diuturna, exercitatione firmata. Sed haec 18
 magis ex frequenti hominum doctorum et eloquentium com-
 mercio quam studio acquisivit. Erat enim annorum quattuor- 19
 decim, cum in regem electus est.

5. — *locose dictum.*

Habebatur inter convivas regio sermo de esculentis. 1
 Cum alii alia extollerent, alia alii improbarent Avicenna Hip-
 pocrateque in cibariorum testimonia allegatis, ait rex Mathias
 proverbium esse Hungarorum nihil esse peius caseo. Negan- 2
 tibus id quibusdam, quandoquidem cucumeres Armeniae et
 multa piscium genera caseo esse longe peiora, „Manifestum
 est“ rex respondit, „vera semper esse proverbia; proverbium
 enim non insulse probatum dicitur verbum, unde apud et
 philosophos et oratores testimoniorum vim obtinet. Sed for- 3
 tassis non bene vim huius proverbii intelligitis. Nam nihil est
 caseo peius, significat: cum nihil habemus, tunc deterius no-
 biscum agitur, quam cum habemus caseum.“ Admirantibus 4
 multis dicendi modum (nam haec videntur inter se contraria,

habere videlicet et nihil, cum alterum, id est, habeo, possessionem, alterum vero, id est, nihil, privationem indicet) quamprimum in medium venit illud Ovidii carmen :

Ingenium quondam fuerat pretiosius auro,
At nunc barbaria est grandis habere nihil.

Quo carmine cuncti illud Hungarorum proverbium concinne
dici intellexerunt.

6. — *Sapienter factum.* /

Indictum est ieiunium Hungaris in die Veneris ; iam diu
enim dies a planetis denominatur, quoniam prima illius diei
hora planeta, unde nomen accipit, dominatur. Sed sextam ibi
feriam, cum sexta a feria dici debuisset, more ecclesiastico
nominant. Feria enim festum dicitur et is dies a dominico
hoc est, feriato die sextum obtinet locum. Fuit autem hoc onus
Hungaris impositum, quoniam a Christiana aliquando reli-
gione deviarunt. Servatur autem eo die ieiunium, ut in quad-
ragesima, nam non modo carne, sed caseo, lacte ovisque abs-
tinent. Sed Hungaria piscibus abundat optimis, nam praeter
Savum et Dravum et Danubium piscosos fluvios habet : Ti-
biscum, quem Titiam vocant, non valde latum, sed profun-
dum, qui adeo piscosus est, ut fama sit apud accolae duas
illius fluvii partes esse aquas, tertiam vero pisces. Sed hoc
apud plebeios. Certum autem est et nos oculis saepe vidimus
nunquam in eo fluvio iactum retis fieri inanem, semper enim
aliquot pisces et grandes quidem adducit. Habet praeterea
lacus et piscinas et fluvios alios piscibus abundantes etiam
optimis et aliis regionibus incognitis. Frequens enim ibi est
piscis quidam candida carne, non valde grandis, raro nanque
tres quattuorve libras pondere excedit, capite magno, sine
squamis, cuius cauda anguillis est similis, saporis iocundi,
quem Hungari caelestem piscem vocitant, nos vero nunc an-
guillam Hungaricam dicemus, quoniam Hungaria caret an-
guillis, quae nostris sunt similes. Sed haec Hungarorum an-
guilla nusquam in Italia visa est, praeterquam in lacu Lario,
et ibi quoque peregrina ; nam fama est ducem Mediolanensem
illum virtutis comitem ex Hungaria afferri iussisse et lacum
Larium deici. Hoc autem volui dixisse, ne forte putetur nimis
grave in Hungaria illius diei ieiunium continuum. Inter caeteros
pisces habet bonos et grandes eos, quos antiquitas primo
turnos, postea lupos a vi, quam exercent, ut putat Varro, nos
vero a similitudine dentium et voracitatis dictos putamus. Sed
hic piscis vocabulo adaucto luceus dicitur, lycos enim Graece
lupus et y transit saepe in u, unde Sullam dicimus et Syllam,
interpositaque littera, ne lucus pro silva intelligatur, luceus
dicitur. Est autem huiusmodi piscis in Hungaria solida et can-

dida carne et longitudine amplius adeo, ut plerunque hominis
 staturam aequet. Et, cum salubritate carnis maxime inter pi-¹⁴
 sces commendetur, in eo nihil iocundius reperitur iocinore suo ;
 iecur enim, quod Graece hepar dicitur, lupi amplum, ut ibi
 reperitur, inter regia cibaria numeratur. Eramus in mensa re-¹⁵
 gia et notavimus nunquam a rege Mathia hepar lupi piscis
 ante se positum acceptum fuisse. De more nanque est, ut
 pretiosiora in communi mensa dignioribus reserventur. Cum¹⁶
 nemo auderet id attingere, quidam non indoctus vir et auda-
 culus interrogavit regem, cur non ederet iecur illud tam pulch-
 rum tamque optime decoctum, cum ubique iecur lupi piscis
 regium putetur esculentum. Tunc rex ait : „Nolite credere non¹⁷
 esse mihi eruditum gustum iocunda a tristibus discernentem.
 Cur autem nunquam in conspectu vestro hepar lupi piscis
 attigerim, est ex quodam firmo proposito, quod puer concepi.
 Duo enim me conspiciente ad tabernam diverterant, quibus¹⁸
 caupo lupum piscem apposuit, grandem sane et pro corpora-
 tura piscis grandi et optimo iecore. Alter eorum nulla ser-¹⁹
 vata modestia id totum voraturus apprehendit altero irato por-
 tionemque flagitante suam ; communia enim illa esse consue-
 verunt, quae hospitibus apponuntur. Coeperunt hi inter se²⁰
 convitari et convitiis ad arma venerunt et tandem mutuis
 vulneribus confossi alter statim, alter vero paulo post animam
 exhalarunt. Unde tanta mihi puero iecoris lupini nausea facta²¹
 est, cum huius piscis iecur duorum hominum caedem attu-
 lisse conspexi, ut postea abhorruerim memor illius mali, cui
 hoc causam praebuerat. Nam esse iocundi saporis memini,²²
 ante enim illud tam indecorum facinus saepe comedi.“ Haec
 rex non sine admiratione retulit, cum puero id tantum inhae-
 serit, ut iam grandem natu comitaretur. Vota enim puerorum²³
 futilia ac mobilia esse iudicet, qui pueros vidit et Horatium
 legit dicentem de puero :

... Ac iram

Colligit et ponit temere et mutatur in horas.

7. — *Factum egregie.*

Quidam strenuus miles, cuius opera rex Mathias in mi-¹
 litia fuerat saepe usus, audiens bellum ortum inter regem
 Mathiam et Fredericum imperatorem Romanorum, cui iure
 iurando aliquando promiserat se tempore belli, ubicunque esset,
 ad se rediturum, petivit a rege, ut bona venia discedere li-
 ceret ad imperatorem ; nanque redire volebat. In prima peti-²
 tione rex praebuit se duriusculum asserens non esse iustum
 discedere tempore belli milites ab eo, qui eos in pace alu-
 erat. Quis enim milites in pace nutrit, quorum tempore belli³
 opera non sit usus ? Miles autem dicebat causam disces-
 sus fidem fore iure iurando firmatam, quam nullo pacto vio-

lare statuerat, si per regem liceret. Hoc sermone motus rex 4
 militem multis et egregiis donis cumulatam remisit ad impe-
 ratorem eiusque propositum coram omnibus laudavit, quoniam
 ius iurandum commodis propriis et amicitiae regiae antepo-
 suisset.

8. — *Iocose dictum,*

Viderat rex Mathias quendam atris vestibus ac promissa 1
 barba lugubrem, cuius aviditatem avaritiamque pluribus ex-
 perimentis noverat. Erat autem homo ille lugubris propter 2
 fratres mortuos, quorum bona iure hereditario iam posside-
 bat, de quibus cum viventibus diu coram rege litigaverat.
 Vocavit ad se rex hominem fingens se huius lugubris habi- 3
 tus causam ignorare interrogavitque, quaenam causa tam
 maestum lugubremque fecisset. Ille illacrimans ait: „Mors 4
 fratrum.“ Tunc rex: „Dic, quaeso, tardane an cita te turba-
 vit?“ Fuerant enim illi diuturno morbo macerati. „Tarda,“ in-
 quit ille. Rex ait: „Sic ego putabam, voluisses enim iam du- 5
 dum illos fuisse extinctos, ut eorum bona diutius habuisses,
 sed te excruciat, te lugubrem barbatumque efficit bonorum
 fraternorum usu tam diu caruisse.“ Erubuit ille lacrimasque 6
 fictas compressit.

9. — *Sapienter dictum.*

In ea frequentia hominum, quae circa reges esse con- 1
 suevit, de temporum varietate sermo est ortus et, ut in quoti-
 diana et extemporaria locutione fit, finis a principio multum
 plerumque discrepat; volutantur enim vicissim verba et a io-
 cosis in seria et a seriis in iocosa saepenumero devenitur ita,
 ut prima extremaque non minus quam album et nigrum inter
 se dissonent. Et tandem locutio hoc extremum habuit apud 2
 vetustissimos honorificum fuisse ducibus exercituum pugnare;
 et ad huius rei comprobationem adduxere Titi Livii verba haec
 de Bruto consule et Arrunte filio regis Tarquini, qui cum essent
 diversarum partium duces, Arruns

conciat calcaribus equum atque in ipsum infestus consulem diri-
 git. Sensit in se iri Brutus. Decorum erat tunc ipsis capessere
 pugnam ducibus. Avide itaque se certamini offert adeoque in-
 festis armis concurrerunt neuter, dum hostem vulneraret, sui pro-
 tegendi corporis memor, ut contrario ictu per parmam uterque
 transfixus duabus haerentes hastis moribundi ex equis lapsi sint.

Ad hunc Livianum sermonem rex suspiravit dicens: „Utinam 3
 et nunc haec esset consuetudo, ut ducum pugna magnanimos
 et fortes principes indicaret aperiretque nonnullorum ignaviam,
 qui otando et sedendo, non pugnando virtutem extollunt bel-
 licam. Cognosceremus profecto, sapientiane an ignavia in cellis 4
 latitent plerique, quos imperitum vulgus extollit.“

10. — *Dictum sapienter.*

Incidit inter homines, qui in corona regis astabant, dis- 1
 putatio de regionibus, quaenam esset hac tempestate scien-
 tia rei militaris ac fortitudine illustrior circumstantibus diver-
 sarum nationum viris; sic enim fit, cum principum fama cla- 2
 rescit. Maxima nanque virorum multitudo ex toto fere orbe 3
 ad regem Mathiam confluxerat, quoniam varietate bellorum,
 multitudine victoriarum, magnitudine gestorum totius Europae
 principes anteibat essetque in eo summa cum humanitate be-
 nignitas, eruditio plurima, eloquentia mitis et facunda et mul-
 tarum linguarum cognitio. Tenebat praeterea astrologiam et 3
 in operibus Apulei Platonici ita detritus, ut eius dogma omnino
 calleret, unde et apud eum theologi, philosophi, medici, poetae
 et oratores et astrologi et qui omnes disciplinas profitebantur,
 frequenter erant; alii enim rogati, alii sponte regiam frequen-
 tabant. Sed in sermone de regionum praestantia quisque pa- 4
 triam suam laudavit: Hispani Hispaniam, Germani Germaniam,
 Boemi Boemiam et, ne generatim prosequar, Itali Italiam ex-
 tollebant. Ad huius rei corroborationem, qui erant docti, testi- 5
 monia historicorum proferebant. Indocti vero historicam fidem 6
 non correspondere condicionibus aetatis nostrae contendebant
 asserentes aetatem nostram artibus machinamentisque bellicis
 antiquitate praestantiorem, cum et strategemata et machina-
 menta mirabilia excogitarit, reiectis quibusdam et antiquis qui-
 dem machinis et armis. Tunc rex Mathias hilari vultu inquit: 7
 „Si centesimam partem antiquae militiae aetas nostra teneret
 talemque rei militaris disciplinam haberemus, quae posset
 cum antiquitate conferri, profecto Turchorum regnum non
 fuisset tam longe lateque diffusum. Non enim antiquitatem 8
 nuncupo, quae intra quingentesimum aut sexcentiesimum an-
 num continetur, sed ad illos me verto, qui tempore Roma-
 norum vigerint. Artes enim bellicae machinamentaue et tor- 9
 mentorum vis magna tunc claruerunt, ut in Frontino Vegetioque
 aliisque plurimis luce clarius inspicitur. De illorum temporum 10
 ducibus et imperatoribus quid loquar, cum nemo tam extremae
 dementiae sit, quanquam bellicosissimus praedicetur, qui se
 ipsum aut Hannibali aut Alexandro regi aut Marcello aut
 Scipioni Iulioque Caesari audeat non modo anteferre, sed
 aliqua ex parte comparare? Si autem antiquitatem intra quin- 11
 gesimum aut sexcentiesimum annum incluseris, non a vobis
 dissentiam, nam intra hos annos pauci aut fortassis nulli
 possunt cum aetatis nostrae ducibus comparari. Renovata 12
 enim a nobis illa bona et perita antiquitate longe melius prae-
 stantiusque rem militarem tractavimus, quam illa rudis aetas,
 quae non est sexcentesimo anno maior.“

11. — *Locose dictum.*

Frequentabatur aula Mathiae regis aulicis multis ac salutatoribus, quorum quidam sapientiores de vitiis nonnullorum religiosorum clara voce loquebantur. Venerant enim tunc quidam divites sacerdotes ad regem. Nam Hungaria habet duodecim episcopatus opulentos adeo, ut maior eorum numerus cum principibus et copiis militum et proventuum amplitudine ubertateque fructuum facile possit comparari. Habentur etiam ut principes; in concilio enim regio primi assistunt familia ampla et culta utentes et, ut de more magnorum principum est, non nisi praegustatos cibos potusque sumunt. Sunt et multae abbatiae et ea praesertim, quae divo Martino ex Pannonia oriundo dedicata est, et praepositurae regnis non dissimiles. Cum igitur sermo de malis religiosis increbresceret, rex Mathias intervenit et intellecta confabulationis materia ut homo versutus et callidus subridens ait: „Nescio, an mali recte censendi sunt, qui infernaliam fugiunt, in inferno enim omnia mala peccataque sunt. Abhorre autem infernaliam optimi viri esse iudicamus, sed, quid eorum sacerdotes effugiant, ut de capitalibus loquamur, subito apparebit. Ipsi non fugiunt superbiam, cum eorum habitus atque incessus superbiam, si extincta esset, reformarent. Iram non vitant, cum apud eos in familiares saevire crudelitatemque exercere et tandem flagellatos occidere pro severitate inter eos habentur. Pudet me referre quorundam episcoporum cruentam saevitiam crudelitatemque immanem, quam fortassis vos omnes his diebus nostris audivistis et vidistis, cum apostolus Paulus episcopos formans inter caetera episcopi documenta praecipit, ne sit percussor. Avaritiam nunquam a se ipsis dimovent, cum per fas et nefas divina negligendo et suos spoliando orationis domum templaque sacra deformat non sine usura et Simonia, ut ecclesiastico utar vocabulo. Gulam atque Venerem, quam iuniores luxuriam nuncupant, cum luxuria ad omnem superabundantiam se extendat, pro quadam apud eos magnificentia reputari videmus. Hoc coci periti, hoc cibaria exquisita, hoc meretricum et aliorum, quos honeste nominare non possumus, multitudo declarat. Invidere autem atque alteri detrudere artis aulicae sapientiaeque mundanae esse affirmant, cum alios deprimendo se ipsos extollere nitantur. Sed optemus, ut hoc vitium sibi habeant propter illud poeticum:

Invidia Siculi non invenere tyranni
Maius tormentum . . .

Inertia autem, quam Graeci acediam vocant, ita eos complexitur, ut otiosi semper et somnolenti divinis neglectis ad sextam plerumque horam dormiant. Simulare ac dissimulare se bonos facie et verbis, non corde effingere fallacibusque blan-

ditis hominem illaqueare artis apud eos et solertiae putatur acumen. Sed, ut verum fateamur, unum maxime detestantur, 16 hoc vehementer reformidant, hoc die noctuque summis cogitationibus et diligentia fugiunt, huius conspectum exhorrescunt, hoc abominantur, nunquam neque precibus neque minis neque ullis persuasionibus et exemplis adduci possunt, ut hoc diligant. De iis loquor, quae in infero esse censentur." Quid- 17 nam esset hoc unum, cunctis avidè interrogantibus respondit rex Mathias egestatem esse rem illam, „quam tantopere sacerdotes fugiunt. Huius autem mali sedem in inferno esse 18 poeta Vergilius in sexto Aeneidos testatur, ubi, cum multa monstra in faucibus Orci, id est, inferni esse commemoravit, subdidit :

Et malesuada Fames et turpis Egestas."

Sic rex Mathias malos sacerdotes suo lepido sermone coarguit. 19

12. — *Sapienter factum.*

Fuerat olim Francorum rex Carolus ille Magnus Pipini 1 filius, qui inter caetera egregia Hadrianum pontificem ab oppressione Longobardorum liberavit eorumque regem nomine Desiderium cum uxore et liberis captivum fecit. Huic Carolo 2 ex sorore nepos erat Rolandus, de quo tot tantaque fabulamenta cantantur, ut in tota fere Europa plebeiorum ora nihil aliud resonent adeo, ut, cum de fortissimo quoque viro sermo seritur, Rolandum revixisse feratur ita, ut in tota Italia Rolandus non proprium amplius viri, sed fortitudinis nomen esse censeatur. Nam in exprobratione minantium et audacium hominum 3 frequenter usurpant interrogantes, an alter Rolandus sit. Praeterea fabulantur hunc fuisse gigante certamenque 4 habuisse singulare cum quodam gigante Sarraceno, cui nomen erat Ferraus. Addunt etiam huic fuisse machaeram nomine 5 Durindanam ferrum lapidesque secantem. Fingunt quoque hos duos fato invulnerabiles nisi in quibusdam particulis corporis fuisse, quas multiplici armatura munierant. Haec deliramenta 6 ubique cantandi materiam praebent, sed aiunt victorem Rolandum tandem siti interiisse. Puer rex Mathias ad 7 huiusmodi carmina et virorum fortium commemorationem adeo erat attentus, ut cibi potusque oblitus, inedia pressus a mane usque ad vesperum ad illorum vehementes ictus pugnamque acerrimam quodammodo stupefactus, nil aliud cogitans, interdum gloria victoris accensus brachia pedesque sub quadam pugnantium gesticulatione movebat, cum et pugnantibus et adesse et praeesse sibi videretur. Parentes autem, 8 ut prudentes erant, in puero tenello hos affectus notantes summam de hoc puero Mathia spem conceperunt maximaque cura et diligentia ad futuri regni adeptionem litteris et mori-

bus artibusque regiis educarunt. Nam cum minimus fratrum 9
 esset, propter illos virtutis igniculos parentes optima et firma
 spe pleni Mathiae pueri nutu omnia gubernabant et Iohannes
 ille cardinalis titulo sancti Angeli, iurisconsultus legatusque
 pontificis Hispanus, cum plurimo rerum usu et sapientia pol-
 leret, palam dicitabat in puero Mathia animos et virtutes reg-
 ias iam dudum coniectasse. Nec eum fefellit opinio. Ma- 10
 thiam nanque tota Hungaria, cum quattuordecim esset anno-
 rum et in captivitate Boemorum, elegit in regem, cum multi
 in Hungaria principes et vetustate familiae et aetate praeirent.
 Sed, qui huius electionis seriem scire desiderat, legat librum 11
 nostrum, cui titulus est De incognitis vulgo, ubi de hac re lata
 fit mentio, quando de fatali dispositione disseritur.

13. — *Factum sapienter.*

Nicholaus Madrusiensis episcopus missus in Hungariam 1
 a Pio pontifice adiit regem Mathiam. Et his peractis, quorum 2
 causa venerat, desedit Budae per totam hiemem regis huma-
 nitate pariter et liberalitate fretus. Sed episcopus non is erat,
 quem sese fronte ostendebat. Erat enim decora facie, elo- 3
 quentia miti, gestu blando et qui sub agnina pelle lupum ce-
 laret, qui quidem simulatione et palatinis artibus fallacibusque
 blanditiis non sine viperino complexu et osculatione Iudae
 omnes fere Hungariae principes fefellit excepto rege. Nam cum 4
 rex Mathias esset eloquio blandus, ingenio versutus et sagax,
 diu inter huiusmodi viros exercitatus, par pari referebat Ni-
 cholao ita, ut non minus blande rex Nicholaum, quam Nicho-
 laus regem alloquebatur. Iuvabat praeterea regis solertiam et 5
 exercitationem astrorum cognitio et physionomiae scientia, quas
 a doctissimis viris largissime acceperat. Accessit etiam ad regis 6
 perfectionem, quod eius genitor Iohannes, quem Itali Blanchum
 nuncupant, nati sui versutia cognita, cum ipse esset Latinae
 linguae expertus, in arduis negotiis cum pontificum legatis per-
 tractandis nullo alio usus interprete quam filio ita, ut tener
 adhuc Mathias arduorum negotiorum cognitionem imbiberit.
 Sed inter omnia physionomiae peritus non modo huius, sed 7
 multorum primo conspectu hominum mores solertissime iudi-
 cavit. Unde primo congressu, qua esset condicione Nicholaus, 8
 apprehendit, sed nunquam se aperuit; artium enim palati-
 narum et simulationis ac dissimulationis principes fere omnes
 habent peritiam. Apud hunc Nicholaus episcopus aggressus est 9
 rem non episcopo et legato pontificis, sed vilissimo nebulone
 dignissimam; nunc hos, nunc illos Hungariae principes crimi-
 nando in gratiam sui regem trahere conabatur. Rex annuebat
 fingens se omnia credere. Et, ut iste criminitor liberius loque- 10
 retur, interdum se maxime mirari quosdam simulabat, quibus
 multa rex beneficia contulisset, dicebatque rex: „Vix possum

adduci, ut, malo erga me sint animo, putem, cum nulla malivolentiae apparens causa intercesserit." Hoc autem faciebat, ut magis Nicholaum excuteret. Posteaquam ex hac tam intima familiaritate animum mentemque regis se tenere putavit, factus est audentior et suas criminationes vertit etiam in eos, qui de Nicholao fuerant bene meriti et a quibus honorem et munera acceperat, ita, ut iam nullus neque magnus neque parvus sive sacer sive profanus (de principibus loquor) a morsibus huius pessimae viperæ erat immunis; omnibus detrahebat, cunctos in odium regis rapere conabatur. Considerans rex Mathias huius viri nequitiam pariter et ingratitude[m], excogitavit humano generi salubre exemplum, ut fallacibus et detractoribus finem, quoad ut fieri posset, imponeret, sicque ait ad Nicholaum: „Ea, quae tu dudum narrasti de principibus Hungariae, non videntur verisimilia; nam cum honeste et liberaliter secum egerim, non apparet ulla ratione probabile, quod tu argumentis et eloquentia persuadere tentasti." Tunc ille ardentius instare et se in eorum faciem dicere paratum asseverabat. Rex his auditis rogavit episcopum et legatum, ut tales artes deponeret saltem in Hungaros, ad quos nomine pontificis venerat. Ille adhuc in sua nequitia persistens, amicitia et favore regis propenso tumefactus credens se regem, quocumque vellet, impellere posse in incepto perseverabat dicens nihil ad se hoc pertinere, sed in medium velle omnia adducere propter affectum, quo regem prosequeretur. Nam multis de se bene meritis regis salutem antepone[re] volebat et ob hanc rem omnia dictitasse narrabat. Rex expectavit aliquandiu, ut Nicholaus poenitentia ductus livorem hunc suum exueret, cogitans non esse magnanimi principis credulitatem et aures detractoribus habere patentes et angebat eum episcopi et legati et docti viri erubescencia. Interea habitum est concilium principum Budae, ubi nunc sedes regia est, congregatisque principibus supervenit Nicholaus nihil suspicans, immo credens animo regis suas illas criminationes inhaesisse. Tunc rex seorsum vocans Nicholaum sciscitatur, an adhuc esset illius sententiae, ut in faciem principum insidias in se exprobraret. Annuit Nicholaus putans hoc nunquam futurum. Apprendit rex episcopum manu duxitque in principum congregationem. Cunctis assurgentibus et Nicholao blandientibus „Iam" inquit, „tempus est efficere, quod tantopere concupiscis; iam palam loquere, quod mihi saepe insusurrasti; nudentur insidiae et proditio[n]es, quas tu in istis principibus cognovisti." Episcopus videns tot principum venerandas facies ac de se bene meritas, a quibus et munera et honores acceperat et nihil unquam mali audierat, animo confusus coepit toto corpore contremiscere et insertis pectinatim manibus demisso vultu obmutuit. Tunc rex ad eum: „Nisi me summi pontificis reverentia contineret, ostenderem profecto non convenire legatis seminare discordiam

et innocios principes in periculum capitis adducere. Vade et ²³
 e regno meo discede! Quod nisi per biduum feceris, tale dabo
 de te exemplum, quo totus orbis intelligat huiusmodi nequitas
 et improbitates Mathiae regi semper displicuisse." Discessit ille ²⁴
 sine mora.

14. — *Egregie factum.*

Venerat Budam quidam strenuissimus eques natione Ger- ¹
 manus cognomine Holubar, virium et corporis mole mirabilis,
 qui in eo certamine, quod praetentis hastis equitum concursu
 fit, ferebatur invictus, plurimos enim secum certantes ad ter-
 ram praetento conto prostraverat. Sed hoc simulachrum pu- ²
 gnae, quod praetentis hastis hodie etiam in ludis fit, apud
 veteres non legitur fuisse in usu. In vero autem certamine
 hastis cuspidatis antiquos pugnasse et illud Ovidianum de-
 clarat et Livius ostendit. Nam Ovidius ait: ³

Vulnus Achilleo quod quondam fecerat hosti,
 Vulneris auxilium Pelias hasta tulit;

et Livius hastis praefixos Arruntem et Brutum in mutua caede ⁴
 commemorat. Sed hunc modum pugnandi nostrum sive in vero
 sive in simulato certamine contus cuspide praefixus cum arma-
 tura simili videtur a Claudiano aliquo modo tangi. Et, ut ad rem ⁵
 redeamus, non eodem ordine et in Hungaria et in Italia hastis
 concurritur; ibi enim non nisi cuspidatis contis, hic vero saepe
 inermi hasta pugnatur, sed in Italia concitato et currente, in
 Hungaria vero succursando et non plene currente equo cer-
 tatur. Sed hastam sub ala tenere ferreo sustentaculo, quod, ⁶
 ne retro hasta pellatur, ibi restet, restationem dicimus: non me-
 mini me legisse apud antiquos. Et, utcunque sit, rex Mathias ⁷
 fama Holubaris commotus ad talem illum invitavit pugnam.
 Ille recusavit timens, ne regem offenderet. Nam, cum totis et ⁸
 equorum et hominum viribus concurritur contis cuspidatis et
 solidis, vix fieri potest, quin aut ad terram pugnator summo
 cum periculo deiciatur aut transfigatur aut ita contundatur, ut
 laesionem sentiat. Rex recusantem compulit, ut secum bono ⁹
 animo certaret. Non ausus est Holubar iterum regi negare,
 sed animo proposuit minimo ictui regis cedere potiusque ad
 terram cadere, quam vires artemque suam cum periculo regis
 ostentare. Hoc rex intelligens statim per omnia sacra et per ¹⁰
 fidem regiam iuravit, si id aliquo modo fieri intelligeret, se
 quamprimum Holubarem occidi iubere et Holubarem iure iu-
 rando astrinxit, ut cum rege Mathia tanquam cum acerrimo
 inimico certaret. Holubar cognita mente regis iuramento ad- ¹¹
 actus timens, si aliter faceret, capitale supplicium se ipsum
 excitans ad illud, a quo fuerat semper victor, certamen in-
 animavit. Omnibus hinc inde paratis multisque milibus homi- ¹²

num insipientibus me quoque spectante, in platea enim divi Sigismondi actum est, fit concursus regis et Holubaris equis more suo currentibus; uterque enim utebatur equo fortissimo. Ita se infestis contis tetigere, ut Holubar resupinatus ad terram per equi clunes exanimis fracto brachio ruerit; fuerat enim in fronte percussus, rex vero percussus in pectore ex vehementi ictu a latere equi paulo post ad terram defluxit laeso aliquantisper pede sinistro statimque surrexit equi sui habenas capiens. Holubarem socii sublevaverunt. His peractis rex curavit Holubarem, qui tandem sanitati restitutus equos et vestimenta pretiosa et pecuniam grandem a rege dono accepit rediitque in patriam et liberalitatem et fortitudinem regiam praedicans. Et, ut verum fateamur, ego quoque, qui utrunque noram, admiratus sum talem pugnae finem, cum Holubar grandi corpore viribus pro corpore aequalibus et rex Mathias sit mediocri statura mediocribusque viribus. Sed in rege Mathia omnes admirantur et ego quoque, qui cum eo longam habui consuetudinem, ita, ut aliquando deceptus fuerim. Nam, cum equitat rex, videtur palmo maior, quam cum ambulat, si quis ambulantis et equitantis longitudinem perpendat. Nam, cum essemus in itinere et in maximo exercitu, rex obvoluto capite et operta facie equitans, ita enim de more est illius regionis sive ob rigorem frigoris ardoremve solis fugiendos sive, quia sub hoc habitu etiam in calore educati pondus aestumque galeae, cum opus fuerit, non perhorrescant, faciem fasciis circumvolutis ita abscondunt, ut vix pupillae oculi appareant, rex igitur hoc habitu celatus, diu locutus reddidit me ambiguum, vox enim sonabat regem, corporis autem longitudo solito maior alium esse insinuabat. Videbatur enim rege procerior locutusque sum cum eo tanquam cum milite privato. Sed, ut omnes fatentur, in equo rex Mathias aptissime sedet itaque inhaeret, ut pares aut similes aetas nostra viderit paucos. Et, ut de me loquar, tot milibus hominum visis, tot regionibus peragratis non memini me vidisse, nisi duos, qui ita apte equitarent: Franciscum Sfortiam ducem Mediolani et Robertum de Sancto Severino, qui his diebus tot egregia facinora cum prole sua effecit. Venetianorum militum dux et imperator totius Italiae vires Venetianis contrarias exercitu non magno ita retudit, ut omnibus defessis atque superatis Venetianorum imperium dilatando magnis proventibus auxerit nullum laborem, nullum periculum, nullas subterfugiens aerumnas, unde tota Italia eius fortitudinem rei que militaris peritiam ac animi magnitudinem cum strategemate admirata universalem ducem non modo elegit, sed collato stipendio ad plurimos annos confirmavit. Nam Robertum saluti Italiae consulentem pacique studentem conventus Italorum principum tanta benivolentia prosequitur, ut eius nomen immortale reddiderit. Nam et iure quidem. Est enim manu et consilio promp-

tus, in respondendo benignus, in agendis negotiis et gravis et vigilans, corpore indefessus. Nam, cum supra septuagesimum annum agat, ita iuveniliter agiliterque se exercet, ut triginta videatur annorum; talis igitur tantusque vir prolem numerosam et sibi simillimam procreavit. Nam, ut de aliis taceam, de duobus impraesentiarum loquar, quos saepe allocuti fuimus. Sunt enim tales, ut nullum tam periculosum bellum possit accidere, quod eorum frangat animos; tunc enim exultant, cum tormentorum fragorem, cum armorum strepitum, cum proeliorum tumultum, cum omnia igne ferroque misceri conspiciunt. Nam Gasparem, quem ob summam strenuitatem, immensam audaciam, celeritatem incredibilem, crebras incursiones devastationesque hostium et in mediis periculis animos pariter et prudentiam agnomine fragorem appellant, quocunque enim proficiscitur, sua invicta manu non minus, quam fragor arbores, omnia obterit. Nonne in illo hastarum concursu, qui et Venetiis et Mantuae nuper actus est, eius opera maxime enituit, cum alios straverit, alios resupinaverit, alios vero debiles mancosque effecerit ita, ut praemia sui laboris et fortitudinis cunctis volentibus acceperit? Est praeterea pulcher et affabilis, sermone mitis et ad ductandum exercitum et ad singulare certamen paratus sui agnominis magnitudinem implens. Nam, qui fragori resistere conantur, aut corruunt aut vehementer laeduntur. Quid de iuniore filio Roberto Antonio Maria loquar, qui et optimis moribus et strenuitate corporis et exercitatione militari et rebus fortiter sapienterque gestis magnificum genitorem suum omnibus in rebus imitatur. Nam hi duo Gaspar et Antonius equitatione et pugna aliisque virtutibus patrem aequare contendunt. Nam et hos optimos et pugnatores et duces novit Ficarolum, abbatia Lendenaria Rodigiumque intellexerunt, Assula perpendit, Ollius conspexit, Mantua Ferrariaque formidarunt Italiaque tota tanquam Italiae et fulmina et propugnacula laudavit et laudat tantaque sui spe homines implent, ut annis crescentibus gestorum incrementa responsura coniectant.

15. — *Factum egregie.*

Gerebatur bellum cum Georgio rege Boemiae, de quo superioribus mentionem fecimus, et, cum diutius praeter omnium opinionem protraheretur non sine maximis impendiis et regis Mathiae et pontificis Pauli, venit ad regem quidam, sed eius nomen tacebo, sicuti feci in maiori parte libri (quoniam adhuc vivunt multi), qui se gladio occisurum Georgium regem pollicebatur, si praemium reciperet aureorum quinque milium. Rex Mathias chirographo et fide promisit se adhuc maiora daturum, si id efficeret, quod promittebat. Ille diu observans, quo pacto id efficere valeret, tandem incidit in quandam huiusmodi necis

desperationem. Videbat enim occidendi Georgii nullam dari facultatem, nisi cum maximo periculo capitis sui, quoniam fidis satellitibus stipatus facile huius temerarii impetum represisset. Quamprimum hoc intellecto mutavit modum, sed non mentem occidendi et se veneno facturum regi Mathiae narravit, quod gladio sponderat. Rex extemplo mandavit, ne ullo modo Georgium veneno aggredere-
 tur, „Pugnamus enim hic,“ inquit, „gladiis, non veneno. Frustra legissem historias de Fabricio, qui ad regem Pyrrhum Romanorum hostem acerrimum scripsit, ut a familiarium veneno caveret (quidam enim eius mortem promittebat), addiditque Romanos ferro, non veneno pugnare consuesse! ? Quam ob rem libros lectitamus, nisi ut optimis exemplis imbuti virtutem sequamur vitemusque vitium? “ Et his dictis Georgium monuit, ut nisi praegustatos et a fidelibus quidem et cibum et potum sumeret, quoniam ei ex veneno periculum certum immineret.

16. — *Egregie factum.*

Frequens sermo Mathiae regis erat tria inter caetera non esse oblectabilia : recoctum ius, amicum reconciliatum et barbata mulierem. In recocto iure aliquid insipidum, in amico reconciliato quiddam veteris inimicitiae esse, in barbata autem muliere quis non aliquid virilitatis esse diiudicat ? — est enim naturae contrarium audaciae virilis in scelere iniciens suspicionem.

17. — *Dictum sapienter.*

Moris est apud Hungaros uti in discumbendo mensis quadratis, qui ab antiquitate Romana defluxit, et omnia in iure apponere ; variant enim iura pro rerum varietate. Anserculi enim et anaticulae, capones, Phasiani, perdices, sturni, quorum ibi copia magna est, praeterea bubula, agnina, haedina et suilla aprugnaque caro piscesque diversi et alia huiusmodi vario semper et proprio iure aut merguntur aut condiuntur. Est etiam consuetudo, non ut modo apud nos, ut singuli ex singulis, sed omnes ut ex una patina accipiant, nec ibi ullus in assumendo bolo aut carnis morsu iurcilla utitur, ut nunc in Italia Transpadana in usu frequenti est ; quisque enim mensam ante se paniceam habens ex communi patina, quod placet, assumit frustillatimque sectum digitis ad os applicat. Hungari non habent in frequenti usu escarum structores, unde fit, ut cum maxima difficultate in illa Hungarorum copia et mensa opipara quis se ab manuum vestisve iniquatione tueatur, guttatim enim aliquando crocinum ius defluens sordidum hominem reddit. Croco enim et gariophilis, cinnamo et pipere gingibereque et speciebus in maxima copia utuntur.

Nam cum Hungari sint robustioris calidiorisque naturae, quam Itali, non videtur abs re factum, ut speciebus utantur, calida nanque testimonio Avicennae calidis conveniunt nutritioque ex similibus semper existit. Calidiora esse huiusmodi condimenta, quae speciebus abundant, nemo est, qui non intelligat. A iure autem et crocino praesertim ungues et digitos, quibus escam apprehendimus, fieri crocinos nullus ambigit. Sed rex Mathias omnia manibus pertractans nunquam fit sordidus quamvis locutioni intentus. Semper enim in eius convivio disputatur aut sermo de re honesta aut iocunda habetur aut carmen cantatur. Sunt enim ibi musici et citharoedi, qui fortium gesta in lingua patria ad mensam in lyra decantant. Mos enim Romanorum hic fuit et a nobis defluxit ad Hungaros. Cantatur autem semper aliquod egregium facinus nec deest materia. Nam cum Hungaria in medio hostium diversarum linguarum sita sit, semper rei bellicae habet fomitem. Amatoria autem carmina raro ibi cantantur et, ut plurimum gesta in Turchos in medium veniunt, non sine sermone concinno. Hungari enim sive nobiles sive rustici sint, eadem fere verborum condicione utuntur et sine ulla varietate loquuntur, eadem enim pronuntiatio, eadem vocabula, similes accentus ubique sunt. Nam, ut de Italia loquar, nobis tanta est loquendi varietas, ut civis a rustico et rursus Calaber a Tusco tantam habeant in sermone dissimilitudinem, ut difficultatem intelligendi maximam praebeant. Sed apud Hungaros, ut diximus, eadem loquendi forma vel exigua admodum differentia est, unde fit, ut carmen lingua Hungarica compositum rusticis et civibus mediis et extremis eodem tenore intelligatur. Sed, ut ad rem revertantur, oculis meis non sine admiratione vidi loquentem regem aut aures carmini vel sermoni maxima attentione praebentem, esculenta iusque pertractantem et nunquam coinquinatione turpatum, quod profecto mirum est, cum alii summa cum attentione et diligentia non possint aut manuum aut vestimentorum sordes praecavere. Sunt igitur huius regis naturales munditiae, quoniam eis maxime gaudet praeter influxum et consuetudinem regionis.

18. — *Sapienter factum.*

Erat Veronensis quidam ex ordine divi Francisci a Paulo pontifice in Hungariam pro fidei negotiis missus, vitae integritate et moribus compositis et studiis humanitatis ornatus. Qui cum prudenter in multis et arduis quidem rebus se gessisset, regis Mathiae solertissimi hominum inspectoris benivolentiam meruit, unde factum est, ut brevi in episcopum rex elegerit. Hungariae enim reges ex privilegio episcopos eligunt, quos pontifices confirmant. Ob hanc tam subitam electionem multi ex principibus, quorum filii episcopatum optabant, valde

reclamarunt indignum putantes hominem peregrinum fune praecinctum et nudis pedibus incedentem mendicantemque ostiatim panem ad episcopatum tam opulentum et ad regnum quodammodo brevi tempore et non multo labore evectum, cum plurimorum Hungarorum et generositas et litteratura et opera in re Christiana dudum enituisent, praesertim, cum hic invitus videretur assumi. Rex cognita huius viri solertia nihil horum advertit Xistumque pontificem frequentibus et litteris et nuntiis stimulavit, ut Gabriel, sic enim vocabatur, in numero esset cardinalium. Sed Xistus et collegium rescripserunt se paratos in re non homine regi morem gerere, nam in quovis alio rex potietur optato, hunc autem monachum paupertatis et castitatis et oboedientiae voto addictum a monasterio convelli nequaquam deberi. Cum huiusmodi viri, qui mortui mundo censentur, non sint apti ad humana capessenda, quorum copia Romanam plerunque conturbat ecclesiam, raro habentes usum et experientiam, sine quibus nemo apprime eruditus est. Sed rex Mathias his posthabitis per oratores suos collegium cum pontifice iterum atque etiam stimulans collaudansque Gabrielem omnium domesticorum et familiarum verba contempsit, cum suadere niterentur, ne pontifex et cardinales ab hac re aversi infestarentur praesertim, cum nonnulli e suis, quos pontifici placituros intelligit, ex vetustate familiae et virtutum splendore et Christianitatis defensione longe Gabrielem antecedant ad capessenda rubri galeri gestamina. Rex autem immobilis a suo nunquam proposito dimoveri valuit ita, ut tandem Gabriel episcopus olim divi Francisci ordinem secutus toto collegio propter regem consentiente cardinalatus accepit insignia. Sed horum negotiorum inscius cum nuntium cardinalatus habuit, diu lacrimavit intelligens opera regis id peractum et se non posse tot tantisque beneficiis a rege collatis dignas referre gratias. Sed posteaquam Romam habitavit, cuncti iudicarunt regem Mathiam callidum hominum inspectorem recte elevisse dictitantes propter Gabrielis et singularem humanitatem et solertiam maximam admirandamque prudentiam.

19. — *Dictum sapienter.*

Narratum est regi Mathiae quosdam e familiaribus sibi venenum miscuisse huiusque narrationis ratio apparebat prima fronte similis vero. „Nemo,“ inquit rex, „venenum ferrumque a suis timeat, qui iuste ac legitime imperat, nec omnia verisimilia sunt probanda. Et hoc sermone accusatoribus illis illis, ut non amplius huiusmodi deliramenta conflingerent, ex vultu enim et gestu criminantium deprendit rex accusatorum invidiam atque fallaciam.

20. — *Mirum in rege.*

Novimus in rege Mathia naturam admiratione dignam. 1
 Nonne incredibile putatur in mediis tumultibus, in tormentorum 2
 fragore, in castris somnum invenire et domi in summa quiete
 mussantibus et susurrantibus cubiculariis nunquam posse in
 somnum resolvi? Nam in Servia cum oppidum Sebestum 3
 oppugnavit et expugnavit, cum lapides vi machinamentorum
 non sine fragore in muros impingerentur terraque tremisceret,
 castra concuterentur, sopore pressus saepe iacuit et levi susurro
 excitaretur, etiam cum maximo labore confectus cubaret. Su- 4
 rrus enim et mussitatio excitabant, quem clamores hominum
 et tormentorum fragor soporabant. Quod profecto erat admi-
 ratione dignissimum. Nec hoc ullus vel suspitioni vel curae 5
 tribuat, quoniam ubique idem eveniebat, ut nos plerunque
 advertimus.

21. — *Sapienter dictum.*

Quidam non omnino imperitus illud Terentianum ad rem 1
 suam faciens allegaverat:

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Quod quamprimum rex Mathias falso dici esseque humanae 2
 naturae contrarium evidenti ratione ostendit inquiring: „Omnes 3
 homines natura scire desiderant teste philosopho, nihil autem
 scitur, ut eiusdem testimonio utamur, nisi verum. Unde con- 4
 cludimus veritatem esse naturae humanae accommodatam. Qui-
 cunque enim sese hominem intelligit, veritatis amatorem se
 esse profiteatur, necesse est. Si autem poetarum et comicorum
 quidem adducenda sunt dicta personarum condicioni et non
 veritati accommodata, non sunt pro vero testimonio referenda.
 Servi interdum et ancillae, praeterea lascivi iuvenes et ama- 5
 tores a poetis introducti loquuntur secundum illud poeticum de-
 corum, quod

Reddere personae scit convenientia cuique.

Unde fit, ut vilissimas et abiectissimas et veritati contrarias et 6
 a se ipsis dissidentes habeant sententias.“ Vir ille regis argu- 7
 mentatione percepta erubuit facileque cognovit praeclara inge-
 nia veritate et non obsequio et adulatione mulceri.

22. — *Dictum sapienter.*

Inter doctos viros, qui aulam regis quotidie frequenta- 1
 bant, erat quidam sexdigitus; in manu enim dextra duos
 habebat pollices. Cuius rei exprobratione irascebatur praesertim,
 cum sextum in manu digitum nonnulli inter monstrosa con- 2
 numerarent. Sed rex causam huic sexdigito irascendi iustam

esse affirmavit. „Monstrosa enim,“ inquit, „apud veteres ut omnis infausti expiabantur sacrificio, quoniam semper videbantur praenuntiare infortunium. Quod et Lucani dicta confirmant hoc versu :

Monstrosique hominum partus numeroque modoque.

Et hoc ratione firmatur. Rarissime enim contingit monstro corpori non subesse monstrosos perversosque mores. Anima enim, ut a doctis viris accepi, ex medicorum sententia sequitur corporis habitudinem. Monstra ergo homini obicere nil aliud est quam vitia exprobrare. Quis iram compresserit, cum inter vitiosos numeretur? Nemo enim tam malus est, qui malitiae nomen non vehementer abhorreat. Et quamquam nequitiam concupiscat sequaturque, tamen nequaquam dici putarive malus affectat. Quotiens vidimus a nativitate claudos aut caecos aut aliqua corporis parte monstrosos moribus quoque et mente et caecutire et claudicare et perverso iudicio uti? Perfecta enim natura perfectos affert mores. Sed in his, quos casus debilitavit, alia ratio est. Nam fortissimi optimique et reges et imperatores militesque strenui casu aut caecutiverunt aut claudicarunt, sicuti de Horatio Coclite legimus, qui Porsennae regis exercitum solus in ponte tenuit et ex eo cadens toto vitae tempore claudicavit. Adducerem Philippum Alexandri patrem et Hannibalem cum Sertorio monoculos, nisi sacra scriptura Iacob virum perfectum narraret ex collectatione cum angelo claudicasse. Inquit enim

Unde crus eius emarcuit.

Qui enim huiusmodi debilitates casu factas connumerat, gesta horum praeclara refert. Unde non inconcinne Cocles ille Horatius pedis debilitatem exprobrandi respondit se per singulos gradus gloriae suae admoneri. Monstra igitur nascuntur, non fiunt. Nonne instrumentum vetus aduncarum narium viros atque reburros a sacerdotio abdicat? Deformitas igitur naturalis videtur esse signum a deo positum ad dignoscendos hominum mores, quos sequi aut evitare conveniat.

23. — *Sapienter dictum.*

In conventu Holomocensi, quo Boemiae, Germaniae, Hungariae diversarumque nationum plurimi convenerant principes, permulti etiam scurrae histrionesque principum secuti culinas confluerant, inter quos quidam non infacetus homo rhythmos Germanica lingua compositos coram rege Mathia recitavit gestu etiam non indecoro. In quibus principum Europae nomina connumerabantur, quos adversus Turchorum impetum expeditionem facturos vaticinabatur, armis et numero militum pro facultate cuiusque enumeratis horum ducem et imperatorem fore regem Mathiam concludebat, qui tum propter

vicinitatem tum propter diuturnam cum Turchis pugnam longam-
 que bellorum experientiam omnium sententia cunctis praepone-
 retur. Hoc primum rhythmorum caput. Secundum vero laudes re- 3
 gias continebat et amplissimas quidem, partim veras, partim vero
 fictas. Nam quicumque illorum rhythmorum compositor fuerit, aut
 non bene tenuit regis Mathiae gesta aut fuit adulationis avidus ;
 multa enim falsa veris commiscuit. Nam, cum eius excellen- 4
 tiam in re militari et magnificentiam et litteraturam et huma-
 nitatem et prudentiam praedicavit, vera narravit, sed, cum ad
 laudes illas fortitudinis giganteae pulchritudinisque Venereae
 se vertit, quis non novit esse figmenta, cum rex Mathias
 virium mediocrium pulchritudinisque virilis sit videaturque. Nam 5
 capillo non plene rutilo, subcrispo, denso atque promisso, oculis
 vividis et ardentibus, colore genarum rubicundo, longis ma-
 num digitis, quorum minimos non plene extendit, Martiali
 potius quam Venerea pulchritudine decoratur. Sed, cum rex 6
 Mathias sit magnificus, rerum gestarum veras laudes non re-
 cusat, fictas vero cum adulatione abhorret, itaque fugit, ut
 eum subiratam putes. Tandem huius scurrae sermo ad prae- 7
 mia dictorum exposcenda se vertit sui laboris et rhythmorum
 recitationem praedicans. Rex finitis rhythmis inquit : „Permulta 8
 in tuo opere in laudem meam decantasti, quae nullo pacto
 in me esse intelligo. Attamen tibi non succenseo, quoniam
 bono animo dixisti, et ego tanquam virtutis incitamentum rhyth-
 mos tus accipio conaborque pro viribus in his, quae a me
 fieri poterunt, dicta tua implere. Sed illam gigantum fortitu- 9
 dinem, Ganymedis Absolonisque speciem posthac ne amplius
 dicas. Tu iam oculis me vidisti. Si deinceps in hac adulatione
 peccares, non esses venia dignus. Sed tui laboris et recita- 10
 tionis cum adulatione praemium expectato, quoad implebuntur,
 quae vaticinaris. Multa enim dixisti, quae optamus magis, quam
 speramus imminente impraesentiarum Turchorum bello acer-
 rimo.“

24. — *Factum sapienter.*

Kalendis Ianuariis in circumcissione Christi consueverunt 1
 Hungari strenam dare, hoc est, donum pro bono omine inci-
 pientis anni. Strenam vero a strenua, id est, a dextra signifi- 2
 care non est dissimile Graecitati, quae doron nominat donum,
 quod per palmam datur ; unde et tetradoron laterem Vitruvius
 architectus quattuor palmorum esse testatur. Moris est, ut a rege 3
 petatur strena praetentis cuiusque artificii instrumentis. Tibi-
 cines tibiam, tubicines tubam, citharoedi citharam, coci ollas
 et creagras et alii alia sui artificii commoda instrumenta de- 4
 portant. Rex in ollam aliquot aureos congescit et in tibiam
 tubamque et reliqua praemium coniecit proprium ; nam et re-
 gius pincerna in scyphum exporrectum pecuniam iactam ex

tinnitu coniectavit. Cum autem ad multam noctem donorum 5
 multitudo pervenisset (erant enim plurimi libertatem regiam ex-
 pectantes), aderat Galeottus Martius non ut dona acciperet,
 sed ut dona regia faceto sermone condiret, ne tantae muni-
 ficentiae deesset hilaritas. Omnia igitur iocis et gaudio plena 6
 et munere regio ornata exultabant. Tunc rex vertit se ad Ga-
 leottum inquiring: „Cur tu quoque non pandis sinum tuorum 7
 instrumentorum ad capiendam strenam? Nam hic ollas, ille
 scyphos, nonnulli tympana et cellarii congios, stabularii strigi-
 les, sartores acum et forcipes, sutores scalprum cum su-
 bula porrigentes non fuerunt praemio suo fraudati.“ Re- 8
 spondit Galeottus se non habere secum instrumenta. Tunc rex
 ait: „Instrumenta tua sunt, quos edidisti, libri, quibus biblio-
 theca nostra ornatur.“ Hoc intelligens Galeottus innuit filio 9
 suo Iohanni Martio, ut librum De homine et De incognitis
 vulgo ex regia bibliotheca afferret. His allatis rex Mathias tunc 10
 sapientiam suam maxime aperuit, cum cocis et stabulariis
 aliisque huiusmodi viris non ex animi iudicio, sed ex patriae
 consuetudine se donasse, doctos vero viros non impulsu con-
 suetudinis, sed animi iudicio venerari omnibus manifestissime
 indicavit. Auro enim et argento plurimo librorum forulos ope- 11
 ruit pecuniamque grandem apposuit adeo, ut unus Galeottus
 plura et pretiosiora, quam reliqui, acceperit. Hoc regis factum 12
 declaravit multos ex necessitate, sine quorum ministerio vivi
 non potest, alere, praeclaros autem viros in quocunque ge-
 nere virtutis ex iudicio animi colere et venerari praemiisque
 dignis afficere, cum illi pauca etiam petentes abstulerint et
 Galeottus tacens nec quicquam tale sperans nec etiam af-
 fectans multitudine pretioque donorum cunctos donatos ante- 13
 iverit. Quanti autem momenti sit animi iudicio et non inve-
 terata consuetudine aliquid efficere, relinquo iudicandum huius
 libelli lectoribus, cum alterum nobiscum cum brutis, alterum
 vero cum diis commune sit.

25. — *Sapienter dictum.*

Nominabant nonnulli principes non sine laudibus Alphon- 1
 sum Aragoniae et Neapolis regem, qui tum et rebus fortiter
 sapienterque gestis tum etiam animi magnitudine ac liberalitate
 immensa memoriam sui reliquit sempiternam. Gesta enim 2
 Alphonsi et dicta ac facta sapienter sunt a doctissimis viris
 mandata litteris, sed inter tot huius regis egregia non in po-
 stremis habendum est, quod iam natu grandior ita litteris in-
 cubuerit, ut doctissimus evaserit. Huius autem praeclarissimi 3
 regis similitudinem in duobus relucere cognovimus. Nam Al-
 phonsi incessum regina Beatrix et manu decore motu a
 natura imitatur et, quod maximum est, doctissima doctos colit
 et veneratur. Nunquam enim cessat, quin aut legat aut audiat

ad avi sui similitudinem se conformans. Et dux Franciscus 4
 reginae germanus animos militiamque Alphonsi secutus littera-
 tura, liberalitate, humanitate, magnificentia, ingenii acumine,
 prudentia in negotiis, fortitudine in periculis, gravitate morum,
 promissorum fide tantam de se in hac aetate iuvenili spem
 omnibus praebet, ut alterum Alphonsum brevi videre spere-
 mus. Allegare autem ad rem auctores cum Beatricis et Fran-
 cisci communis sit laus, quid referam, cum Beatrix regina tam
 prompto et eloquenti sermone cum Boemiae rege locuta est,
 — hoc enim nos oculis vidimus, — ut omnes audientes ob-
 stupefecerit? Auctorum autem sententias in medium ex tem- 6
 pore et apte adducere fecundi ingenii doctrinaeque exercitatae
 signa esse intelligimus. Nonne adhuc mentibus hominum in- 7
 haerescit, cum de mutabilitate, ut dixi, cuiusdam dominae
 sermo haberentur, a Beatricis ore decoro statim Vergilianum
 illud :

.. Varium et mutabile semper
 Femina ..

et ad iuvenem summa anxietate amicam requirentem illud
 quoque Ovidii adductum

Res est solliciti plena timoris amor.

De psalterio impraesentiarum nihil referam, quoniam ei est 8
 quotidiana lectio et allegatio. Et, ut a rem nostram revertamur, 9
 fama erat hunc regem Alphonsum dispensatori suo et prae-
 mia et laudes tribuisse ex eo, quod ausus est prodigalitate
 opprimere temerariam cuiusdam emptionem. Habitabat enim 10
 tunc rex Alphonsus Tibur et dispensator, cum pretiosa opta-
 bat, Romam ibat. Est enim distantia XVI milium passuum.
 In macellum Romanum attulerant piscatores murenam vena- 11
 lem satis grandem pro natura regionis et piscis (vix enim tres
 quattuorve libras implet) et piscator propter raritatem (unica
 enim erat in macello) tunc adventantibus uno temporis mo-
 mento pontificis et Alphonsi dispensatoribus venale plura offe-
 renti proposuit. Dispensator pontificis tres, regis autem sex, 12
 rursus pontificis decem, regis viginti obtulit. Et altercatione
 crescente ait piscator : „Murenam auferat, qui triginta aureos
 dabit!“ Alphonsi dispensator tacente corrivali murenam nume- 13
 rata pecunia asportavit regique narrato emendi modo ostendit.
 Rex autem Alphonsus negotium hoc diligenter advertens
 dispensatorem suum et laudibus et muneribus regiis cumula-
 vit. Hoc audiens rex Mathias : „Magnificentiam et liberalita- 14
 tem nemo unquam improbavit, sed, si dispensator meus in
 huiusmodi rebus liberalitatem ostentasset, laudassem quidem,
 si emptam murenam pontifici donasset, ut dominum suum et
 pecuniarum et gulae contemptorem prudentiores iudicarent,
 quandoquidem murenam non ex avaritia dimissam nec ex
 gula emptam cognoscerent. Dispensator, qui haec fecisset, 15
 sine dubio laudem meruisset.“

26. — *Dictum sapienter.*

A rege Mathia saepius audivi male facere huius aetatis 1
 historicos, qui regionum urbiumque nomina ad antiquitatem
 revocare contendunt, cum in urbibus non sit magnus, sed in 2
 regionibus maximus error deprendatur et fallacia. Nam si quis 2
 Gallorum regem nunc nominet, quis non intelliget non esse
 sub hoc vocabulo Franciam comprehensam, cum gens Gallorum
 et citra et ultra Alpes sita confusionem faciat Franciae popu-
 los minime concludentem? Si quis autem Mysiae nomine Ser- 3
 viam nuncuparit, faciet nominis errorem, cum duplex sit
 Mysia; Rasciam aetas nostra nominat et Thraciae et Mysiae
 partes; Hungariam ab Hunnis et Avaribus appellatam Pan-
 nonias Daciaeque partem habere intelligimus. De Polonia quid 4
 loquar, cum Germaniae et Scytharum partem complectitur?
 Sclavinia tam latae significationis nunc est, ut in Italiam us-
 que extendatur; lingua enim regionum hoc facit. Austria, ubi
 Nova Vienna est, et Pannoniae et alterius nationis obtinet por-
 tionem. In Italia, ubi via Aemilia est, quae latius patet con-
 tinetque diversa; et Marchia alios habet fines, quam Picenus
 ager. Et ne omnia prosequar, dicebat rex necesse esse, 6
 novis nominibus pro linguarum, regnorum, praefectarum
 mutatione utamur. Nam nec hoc caret exemplo dicente Plinio 7
 libro tertio:

Gens Liburnorum iungitur usque ad flumen Titium; pars eius
 fuere Mentores, Himani, Enchileae, Dudini et quos Callimachus
 Peucetias appellat; nunc totum uno nomine Illyricum vocatur
 generatim.

Sed de urbibus et regionibus si quis ambigeret, legat Stra- 8
 bonem, ubi antiqua in nova transisse nomina comprehendet.
 Nam Ferrariam pro Muento et Bononiam pro Felsina positas
 inveniet. Nunc et Imolam et Faventiam Cornelii, Sempronii 9
 Fora cognoscet, licet et Faventia et Bononia et in veteribus
 nomina frequententur. Fluentiam in Florentiam, Patavium vero 10
 Paduam declinarunt. Et, quae Venetia ad Mantuam usque
 Strabone teste extenditur, marchiae Tervisinae nomine com-
 prenditur finibus diversis. Et antiquitas Taurunum sinum, quem 11
 iuniores Hungari Nandoralbam, Sclavini Bellogradum et Italici
 nuncupant, utrunque tamen, et Hungaricum et Sclavinum,
 Castellum Album vocabula sonant. Concludamus igitur vel 12
 linguarum diversitatem vel urbium instaurationes vel prae-
 fecturas impositas vel regna constituta non recte pro rerum
 et locorum varietate in omnibus antiquum nomen servare, cum
 termini variati sint et perpauca reperiantur, quae ab antiquo
 tenore minime discesserint.

27. — *Sapienter factum.*

Iohannes cognomine Vitez, quod Latine dicitur miles (est enim nomen familiae), vir in iure pontificio et studiis humanitatis eruditus, statura procera et pulchra et in aetate iuvenili capillo cano et ingenio versuto fuerat olim Galeotti discipulus et contubernalis, sed Mathiae regi aliquantisper invisus. Nam, cum consanguineus esset Iohannis archiepiscopi Strigoniensis et alterius Iohannis Quinque Ecclesiarum episcopi, qui a rege Mathia ad regem Poloniae non sine maximo periculo desciverant, videbatur adhuc in Iohanne Vitez inimicitiae veteris et consanguinitatis reliquias remanere. Perraro enim suorum caritas brevi aboletur. Unde sermo de hoc viro auribus regis non poterat esse gratus. Sed contigit Galeottum Martium, qui propter suam universalem disciplinam et facundiam lepidadam atque iocosam regi erat carissimus, in discrimine vitae et rerum suarum saepe fuisse et propter librum De incognitis vulgo haereseos damnatum, sed tandem causa devoluta est ad Xistum pontificem virum eruditissimum, cuius iussu Galeottus e taeterrimo carcere exemptus Romam commigravit, ubi Galeottus multos repperit aemulos et inimicos acerrimos, sed summus pontifex ex iudicio doctrinae suae Galeottum diiudicans pristino honore et rebus recuperatis absolvit ita, ut in pristinam dignitatem divitiasque Galeottus Xisti opera et iudicio et auctoritate redierit. Sed inter agendum (diu enim causa agitata est) Iohannes Vitez et propter veterem cum Galeotto benivolentiam et maxime propter regem Mathiam, cui sciebat Galeottum ob singularem cum virtute doctrinam cordi esse, plurimum in hac re desudavit effecitque, ut gratis omnia Romae a Galeotto haberentur, quae ad eius honorem ac salutem pertinebant. His peractis Galeottus ad regem Mathiam convolvavit narratoque rei ordine et spe simul ac desperatione relata, non enim hilari vultu rex audivit, cum tortore ad necem Galeotti parato imperita plebs esset intenta, doctoribus tamen et nobilioribus dolentibus causamque Galeotti tuentibus. Sed in hoc longo sermone (voluit enim rex a principio ad finem usque rem omnem audire) incidit sermo de Iohanne Vitez, qui tantopere respectu regis pro Galeotto laboraverat. Rex statim omne in Iohannem odium deposuit et redeuntem in Hungariam blande suscepit dixitque se non mandaturum oblivioni, quod pro Galeotto sui amore fecisset, idque re ipsa comprobavit. Nam primo in Franciam oratorem Iohannem Vitez in arduis negotiis misit, deinde reversum ditissimo episcopatu ornavit; est enim Sirmiensis episcopus. Sirmium autem oppidum, quod et monti nomen dedit, si ab illo antiquissimo Sirmo rege Triballorum nomen traxerit, non disceptabo impaerentiarum, quaedam tamen non praeteribo, quae antiquitas vel ignoravit vel tacuit vel tunc non vidit, quae fortassis

non erant. Octavae enim sphaerae revolutio et temporum lon- 9
 gitude multa affert, quae prius visa non sunt, deletque plu-
 rima olim conspecta. Et, ut de vino Sirmii montis taceamus, 10
 cum tanta sit suavitate, ut par aut simile in toto terrarum orbe
 difficile sit reperire, nec de cucurbitinorum magnitudine et io-
 cunditate loquamur, quae tam grandia fiunt, ut ex eis unum
 vix utraque manu ambiri possit, unum referemus inauditum
 et mirabile, quod nusquam gentium esse fertur. Nascitur enim 11
 ibi aurum ad similitudinem virgulti simile asparago, non-
 nunquam vero sicut capreoli circa truncum vitis intorti ad
 magnitudinem plerunque duorum cubitorum, quod nos vidi-
 mus saepe. Sed ille aureus asparagus sive capreolus iuxta 12
 vites natus non est auri valde puri; est enim venae auri Rhe-
 nani. Et anuli ex hoc naturali auro facti cum facile fiant (quis
 enim labor contorto auro digitum circumdare ?), dicuntur sa-
 nare verrucas. Nam et ego quoque ex huiusmodi aureis vir- 13
 gultis anulum possideo. Talis ergo regionis episcopatu rex Ma-
 thias Iohannem Vitez dignatus est; nemo enim irremuneratus
 a tanto rege dimittitur, cum causa apparet honesta.

28. — *Factum sapienter.*

Mirabilis diligentiae regem Mathiam et in magnis et in 1
 parvis rebus esse hoc maxime indicat. Omnes litteras, quas
 ad diversas partes mittit, aut ipse dictat aut ab aliis scriptas
 legit. Itemque ad se missas sine aliqua mora oculis percurrit, 2
 quocumque ex loco venirent. Peritus enim plurimum linguarum
 intelligit Latine, ut dictum est; optime scit Bulgaricam linguam;
 in qua Turchi sua scribunt diplomata, bene tenet, parum nan- 3
 que a Sclavina distat. Quae, cum latissime pateat, maximam 4
 habet varietatem. Cuius rex Mathias non est ignarus, unde
 factum est, ut cum Boemis, Polonis, Ruthenis, Dalmatis, Bul-
 garicis, Curetibus, Servianis, Brencis, Roxolanis aliisque per-
 multis populis sine interprete loquatur; Sclavina enim lingua
 omnium istarum mater esse cognoscitur. Germanorum autem 5
 sermonem puer adhuc et in carcere didicit adauxitque iam
 natu grandis continuam cum principibus Germaniae habens
 consuetudinem. Sed Germani et Boemi et Poloni aliquando 6
 lingua patria, plerunque Latina litteras scribunt, sola Hungaria
 (ex Christianis loquor) non nisi Latine scribit, quoniam Hun-
 garorum lingua non facile scribi potest. Minima enim accen- 7
 tuum mutatione et diversitate prolationis mutatur significatio.
 Nam apud Hungaros sunt vocabula, quae in u littera desi- 8
 nunt, sed, si illa littera promissis, aliud, quam si contractiori-
 bus et depressioribus labiis pronuntiatur, significat, quod
 scriptura ostendi nequit, quandoquidem Latina lingua unicum
 habet u et lingua Hungarica quadruplici indigeret, si varietas
 omnis comprehendi deberet. Et sic de aliis. Habent etiam lin- 9

guae penuriam in nominibus provinciarum. Nullam enim no- 10
 mine suo nuncupant, sed circuitione utentes gentile nomen po-
 nunt adduntque regnum : Hollas orsaco dicunt Italiam, quod so-
 nat Italorum regnum ; Toto orsaco, quod Sclavinorum regnum ; 11
 Nemet autem orsaco est Germanorum regnum. Et sic de sin-
 gulis. Habent etiam multa Sclavinorum vocabula et Latinorum
 etiam. Mit cheres dicunt, quid quaeris, cum c et q sint affines.
 De his satis. Ad illam minimarum quoque rerum regiam di- 12
 ligentiam atque memoriam revertamur. In maxima mole bel- 13
 lorum et rerum cardine, in medio hostium, cum exercitus
 castra moveret omniaque et clamarent et tumultuarentur (sic
 enim fit, cum tot milia armatorum et hominum et carrorum loco
 moventur), in quodam oppido Austriae, quod vocant Balneum
 propter aquas calidas thermasque magnificas, quae ibi sunt,
 erat Galeottus Martius, qui ab Italia venerat, ut et dotibus
 filiarum, quas nuptui tradiderat, auxilium a rege peteret et glo-
 riam regis videret. Expugnauerat enim paucis diebus ante op- 14
 pidum grande nomine Hainburcum muro et viris munitum et
 arce quodammodo inexpugnabili. Est enim in altissimo monte
 sita et ab impetu tormentorum tuta. Sed auxilio dotis impe- 15
 trato volebat Galeottus redire in patriam (non enim regem sequi
 poterat) adiitque regem memoria eius fretus dicens se non
 posse sine periculo redire, nisi sua maiestas provideret. Fie- 16
 bant enim crebrae hostium incursiones crebraque latrocinia,
 quae illis regionibus peculiaria sunt. Accedebat etiam ad hoc, 17
 quod Galeottus sciebat se quibusdam principibus esse invisum.
 Nam diu in curia regis versatus non potuit efficere, quin ami- 18
 cos in re honesta iuaret, quo factum est, ut et inimicos in-
 veniret. Qui enim amicis Galeotti adversabantur, et Galeottus 19
 erant contrarii. Humanum est hoc, ut, qui multos iuvat amicos,
 pariat etiam sibi multorum inimicitiam, qui adversariorum iu-
 vamenta pro offensionibus habent. Rex, cum omnia streperent 20
 vixque Galeotto dicere posset verbum, ait : „Eris mihi curae.“
 Biduo post, cum rex armaretur, ut illinc castra moveret, om- 21
 niaque in motu, ut diximus, essent et hinc inde variis, ut fit,
 negotiis infestaretur, diversis resonantibus linguis (erant ibi
 Rasciani, Turchi, Boemi, Germani, Poloni) Galeottus rursus
 regem interpellavit. Est enim rex Mathias memoriae validae, 22
 benignus in audiendo, in respondendo promptus et facundus,
 eloquentiam suam nunc hilari, nunc tristi vultu gestuque ad
 rem accommodato prosequens ; est etiam vocis tam clarae,
 ut longissime audiatur. Videns Galeottum ait : „Currus et duc- 23
 tores pecuniaeque et commeatus tibi dabuntur ; redi in Hun-
 gariam et, cum ibi fueris, scribam, quid tibi faciendum sit.“
 Discessimus illinc ; rex Viennam cum exercitu, ego Hunga- 24
 riam versus bonis et felicibus auspiciis ; omnia enim abunde
 et ex sententia habui recognoscens regis Mathiae summam
 etiam in minimis rebus et memoriam et diligentiam maximam-

que in viros doctos benivolentiam; nemo enim ausus est, etiam e potentioribus Galeottum vel minimo nutu laedere. Sed eam, quam cum Cyro Persarum rege similitudinem habet, non praeteribo. Hic, sicut ille, nominatim suos omnes milites cognoscit. Sed, cum rex Mathias litteras manu sua scribit, breves admodum facit; autographia autem eius perpulchra inter neotericos et antiquos litterarum continet formam. Scribit autem ad familiares amicos, ut nos aliquando conspeximus. Plerunque enim Iohannem archiepiscopum Strigoniensem tunc regi carissimum litteris manu sua scriptis ad se vocavit.

29. — *locose factum.*

Hungaria, quia in fide Christiana aliquando claudicavit, a summis pontificibus et a regibus in numero divorum enumeratis remedia quaedam habuit. Hungarorum enim principes, ut fertur, instituerunt, ut, qui sanctam crucem non honorifice susciperent, poena punirentur acerrima; veneratio enim crucis non parvum est Christianitatis documentum. Hinc est, quod ad nostram quoque aetatem pervenit, ut in plateis vicorum Hungariae plurima conspiciatur in erectis perticis crux posita tanquam signum receptionis ipsius. Et in festo Epiphaniae de more regionis est, ut sacerdotes sacris vestibus induti cuiusque domum praetenta cruce intrent tentantes quodammodo more antiquo crucis receptionem; dicuntque sollemnia quaedam et stipem colligunt. Eramus in Tolna (est enim oppidum grande in ripis Danubii situm) et in festo Epiphaniae, ut consuetum ibi est, sacerdotes intraverunt regiam dixeruntque sollemnia stipemque collegerunt. Sed, dum morantur ientationem et potum (sic enim in ea regione faciunt), rex Mathias ex magna principum multitudine quosdam manibus suis traxit ad eam partem, ubi sacerdotes erant, cum sacerdotibus alia, principibus vero alia regiae pars daretur. Inter quos traxerat rex Iohannem Thuz virum prudentissimum et Latine et Hungarice Sclaviniceque eloquentissimum, in arduis negotiis summo cum honore exercitatum, gratissimum olim patri regis et regi quoque Mathiae longo tempore carissimum, cuius opera permulta et ardua quidem rex effecerat. Sed nunc longe a patria Venetiis cum uxore et liberis vitam privatam ducit, cuius rei causam nunquam potui intelligere; mutatio enim fortunae et status Iohannis Thuz causam non habet mihi manifestam. Sed illuc, unde digressi sumus, revertamur. Admirantibus cunctis, quid sibi vellet haec regis violentia, ut ad chorum sacerdotalem hos traxerit, rex inquit: „Pares cum paribus, ut vetus est proverbium, facillime congregantur.“ Reclamantibus cum risu cunctis se non esse sacerdotes, ut pares sacerdotibus iudicerent, et non facillime congregatos, quoniam violentia intercesserat, rex ait: „Verum dicitis; principes enim tempo-

rales sunt in sacramento sacerdotibus dissimiles, sed in aliis vos estis sacerdotibus pares ac similes; nemo enim vestrum duxit uxorem (nondum enim Iohannes Thuz habuerat uxorem) et sacerdotes sine uxoribus apud nos degere quis dubitat? Vos igitur caelibes ad chorum caelibum traximus et a com-¹² mercio nostri expulimus tanquam alienos et dissimiles. De facilitate nemo melius iudicare potest, quam ego, qui vos traxi; tanta enim fuit facilitas, ut nullum laborem senserim. Facillime¹³ igitur vos sacerdotibus pares cum paribus illis estis aggregati secundum proverbii veritatem." Quo dicto exhilarati sunt om-¹⁴ nes et risu agitati, nam in dicendis facetiis habet rex Mathias cum facundia gratiam vultum vocemque ac gestum materiae semper accommodans.

30. — *Sapienter factum.*

Strigonium oppidum Hungariae in ripis Danubii situm a¹ Buda, quo secundo fluvio descenditur, triginta milibus passuum distans arcem habet in edito colle munitissimam et pulcherrimam. Nec immerito. Fuit enim aliquando regum domus² et habitatio et in ea arce templum, cuius pronasus et solum porphyreo lapide constructum a longe habens prospectum, vasis aureis argenteisque nec non pulcherrimo et ditissimo sacerdotalium vestimentorum apparatu potest cum omnibus iure certare. Estque Strigonium Hungariae metropolis cum opulentissimo archiepiscopatu. Nam florentibus rebus ad centum milia aureorum proventus se extendebat, nunc vero vix dimidium obtinet. Huius arcis possessor fuit Iohannes archiepiscopus, de⁴ quo superius mentionem fecimus, vir in multis disciplinis non in postremis habendus astrologiaeque adeo deditus, ut Ephemerides secum gestitans nihil nisi consultis astris ageret. Habebat secum viros excellentes et in omni fere doctrina ex-⁵ cultos. Nam nos quoque, qui librum De homine nomine suo edidimus, diu eius familiaritate sumus usi. Sed in numero⁶ doctorum erat quidam theologus acuti et prompti ingenii, natione Siculus, ordine divi Dominici, nomine Iohannes Gattus, multum sibi arrogans. Nam omnia theologiae dubia se soluturum ex tempore praedicabat maxime cupiens cum rege Mathia habere disputatiunculas. Audiverat enim a Galeotto,⁸ qui eum ex Italia in Hungariam duxerat, regem Mathiam solertis ingenii linguaeque elimatae solere doctis viris aenigmata solvenda proponere et ita suis argutiis angere atque vexare homines, ut difficillimum putaretur eius retia et argumentorum laqueos evitare. Sed accidit regem iter per Stri-⁹ gonium habere hospitemque archiepiscopi fieri. Quod cum¹⁰ Gattus accepit, valde exultavit ratus advenisse tempus ostentandae doctrinae conciliandique regis, a quo multa sperabat. Et ne longius prosequar, paratur cena regia et in Laconico¹¹

(erat enim hiems); et Hungaris mos est hieme uti Laconicis calidis tepidisve, prout frigus et algor intenduntur. Et in his¹² etiam aliquando dormiunt, licet sanitati sit contrarium. Fit enim Laconicis vapore crasso in humanis corporibus spirituum vexatio repletioque cerebri, quam plerunque dolor consequitur capitū. Cum iam discumbendi hora venisset, narratur regi¹³ Iohannem Gattum in arce esse vocandumque ad cenam, ut cum eo habeatur disputatio, cuius rex est avidissimus et praesertim inter comedendum, nam alio tempore vix occupationibus sufficit. Vocatus iussu regio discubuit in mensa regia,¹⁴ ubi episcopus Quinque Ecclesiarum et archiepiscopus Strigoniensis (uterque enim vocabatur Iohannes) doctrina exculti et quidam alius episcopus et Iohannes Thuz et Galeottus con-sederant. Peracta cena regifico luxu. Utuntur enim Hungari¹⁵ summa in esculentis et poculentis abundantia non sine vinorum varietate. Hic enim mos nunc est Hungaris, quo olim¹⁶ Galienum Romanorum imperatorem usum fuisse tradunt historiae. Varia enim vina ille in lautissimis conviviis praeberere consueverat. Cum igitur Gattus vino ciboque et Laconici ca-¹⁷lore factus est animosior (parant enim animos vina, teste Ovidio), non expectato fine coepit de se ipso praedicare et doctrinam ostentare suam, affirmare nihil in theologia esse, quod eum latitet, et se aenigmata omnia, ubicunque fuerit, sine aliqua haesitatione solvisse paratumque esse ad omnia re-spondere. Rex autem ut homo versutus et qui mores huius¹⁸ aetatis theologorum recte novit non nisi ardua et difficilia secantium, cum Thomae et Scoti difficiles de trinitate, de attributis, de eucharistia nodos tantummodo videant negligentque moralia et euangeliorum explanationem, extemplo Iohannem Gattum tam magna de se ipso pollicentem blande alloquens rogat, ut a se dubitationem diu animo inhaerentem removeret, cum nemo adhuc in hac re sibi ad plenum respondisset: „Dubitavi,“ inquit, „diu, cur Christus deus et homo omnia¹⁹ iuste sapienterque faciens in nonnullis visus est minime servare iustitiam. Iustitia enim pro meritis praemium tribuit. Nam dare merenti obolum aureos aureosque merenti obolum²⁰ tribuere quis dubitat aequitatem non esse servatam? Christum autem sic fecisse euangelia videntur ostendere. Nam cum²¹ Petrum et Iohannem inter caeteros apostolos haberet dilectos, eorum merita non aequa lance pensitavit. Petrum enim de-²²sertorem et abnegatorem deierantemque Christi non habuisse notitiam maxima pontificatus dignitate ornavit et Iohannem ad mortem usque Christi perseverantem nullo tumultu, nullo metu mortis nullisque periculis ab eo divulgum inhonoratum ingloriumque reliquit. Nam, ut de me loquar, si duos habe-²³rem familiares et in pugnae proeliorumque principio alter fugeret, alter vero ad extrema usque permanens me dimitteret nunquam, fugacem illum ac desertorem infamia et forsitan

cruciatu prosequeretur, remanentem vero mecumque in omni periculo persistentem praemiis et honore ornarem omnibus, ut reor, hoc approbantibus. Nam, si fugaci honor tribueretur, pugnaci 24 vero et fido nulla sit gloria, quis non videt virtutem suo praemio fraudari et ignaviae fomenta praeberi? Ciceronis dictum 25 hoc esse a praeceptoribus accepi:

Honos alit artes omnesque accenduntur ad studia gloria.

Quid igitur aliud est Petrum pontificatu ornare Iohanne neglecto, 26 nisi discipulos admonere, ut fugiant persecutiones vitentque tormenta, nullos sustineant cruciatus, sed statim fugiant Christumque abneget? Haec volui dixisse declarationem expectans, non enim mihi unquam persuadebo hoc a Christo sine ratione factum. Quicquid autem mihi alienum a iusto videtur, non iniustitiae divinae, sed inscitiae nostraetribuendum est. Tunc Iohannes Gattus orationem regis quasi ordine capitulatum 28 repetivit, sed, cum ad confutationem declarationemque dubitationis se vertit, subtristis perplexe loqui coepit et affirmare secretorum divinatorum nullo pacto rationem esse expositandam. „Nam cur Christus hoc fecerit, ut Petrum honoraret, inhonoratum dimitteret Iohannem, non pertinet ad hominis intelligentiam; excedit enim theologorum ingenia. Hoc 30 enim arduum et difficile sibi Christus reservavit nec ullus unquam ausus est hanc quaestionem facere. Nonne aetas nostra et antiquitas etiam plurimos vidit huiusmodi perscrutantes in errorem incidisse? Unde maiestatem vestram rogo, 31 ne haec divina secreta et inscrutabilia in medium adducat; possent nanque nos illaqueare irretireque erroribus.“ Rex 32 Mathias hoc sermone Gatti percepto inquit: „Ea, quae nos tetigimus, non sunt divina secreta, de quibus ratio nulla evidens appareat, sed sunt moralia et homini perito facilia intellectu.“ Tunc Gattus iratus inquit: „Nolite mihi praefinire 33 modum theologiae, quem teneo. Nemo enim est tam temerarius, qui in theologicis se mecum conferre auderet. Nam nihil in hac divina scientia mihi est, ut puto, incognitum. Omnes enim bibliothecas percurri et nunquam huius dubitationis occurrit declaratio.“ Tunc rex Mathias ait ad Gattum: „Non 35 multos in theologia libros legi, nec etiam in aliis facultatibus. A puero enim ad regiam dignitatem evectus pauca e multis 36 didici et militarem quodammodo litteraturam arripui. Sed tamen huius rei declaratio, ut opinor, facile invenietur.“ Gattus impatiens sermonem regium interrumpens inquit: „Deponite hanc mentem, quoniam, ut dixi, nusquam est.“ Tunc rex 37 Mathias iussit opus divi Hieronymi contra Iovinianum afferri, in quo haec sunt verba:

Propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio. Sed cur non Iohannes electus, qui virgo est? Aetati delatum est, quia Petrus senior erat, ne adhuc ad-

olescens et paene puer progressae aetatis hominibus praeferretur et ne magister bonus, qui causam iurgii debuerat auferre discipulis (dixerat eis: „Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis“ et „Qui voluerit inter vos maior esse, minimus omnium sit“), in adolescentem, quem dilexerat, causam praeberet invidiae. Ut autem sciamus, Iohannem fuisse tunc puerum manifestissime docent ecclesiasticae historiae, qui usque ad Traiani imperium vixerit, id est, post passionem domini sexagesimo octavo anno dormierit, quod et nos in libro De illustribus viris breviter perstrinximus. Petrus apostolus est et Iohannes apostolus, sed Petrus tantum apostolus, Iohannes apostolus, euangelista et propheta. Apostolus, quia scribit ad ecclesias; euangelista, quia librum euangelii edidit, quod excepto Matthaeo alii ex XII apostolis non fecere; propheta vidit in Pathmos insula, in qua fuerat a Domitiano principe ob domini martyrium relegatus, apocalypsim infinita futurorum mysteria continentem.

